AUTHOR:

TEXTOR, ADOLF

TITLE:

DE HERMENIAE ARISTOTELEAE...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1870]

Master Negative #

93-81414-14

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Textor, Adolf, 1847-

De Hermeniae Aristoteleae capitibis I -XI. Dissertatio inauguralis quam ... publice defendet auctor Adolfus Textor ... Berolini, Schade, [1870].

70 p. $20\frac{1}{2}$ cm.

Thesis. Berlin. 1870.

Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/17/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

HERMENIAE ARISTOTELEAE

CAPITIBUS I—XI.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE V. M. FEBRUARII A. MDCCCLXX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ADOLFUS TEXTOR
STETTINENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
MAXIMILIANUS MELZER, CAND. PHIL.
AUGUSTUS EIME, CAND. PHIL.
GUILELMUS LAUER, GYMNASII COLONIENSIS PRAECEPTOR.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

Argumentum libri, qui inscribitur *περὶ ἑρμηνείας*, dignum Aristotele esse inter omnes constat.

Attamen uiri docti et ueteres et recentiores dubitauerunt, num ab Aristotele compositus esset. Primus Andronicus Rhodius cum locum, ad quem uerba capitis I. 16ª 8. „*περὶ μὲν οὖν τούτων εἴρηται ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς*“ referrentur, in libris „de anima“ non inuenisset, totum *περὶ ἑρμηνείας* librum ab Aristotele abiudicauit. cfr. Ammon. in schol. a Brandisio collectis pag. 97ª 15. „*οὐδεὶς ἐβούλετο τῶν περὶ τὰ συγγράμματα τοῦ Ἀριστοτέλους ἐσπουδακότων ἀμφιβολεῖν ... πλὴν Ἀνδρονίκου τοῦ Ῥοδίου, ὃς ἑνδέκατος ἦν ἀπὸ Ἀριστοτέλους· ἀκούσας δ' αὐτοῦ καλοῦντος ἐν τοῖς προοιμίοις τοῦδε τοῦ βιβλίου τὰ νοήματα παθήματα τῆς ψυχῆς καὶ προστιθέντος „„περὶ τούτου εἴρηται ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς““ διὰ τὸ μὴ συνιδεῖν ὅπου τῆς περὶ ψυχῆς πραγματείας τὰ νοήματα παθήματα τῆς ψυχῆς ἐκάλεσεν ὁ φιλόσοφος* ... librum Aristotelis esse negat“; Boëthius ed. II. pag. 284 (schol. Brand. 97ª 28.) „Andronicus hunc librum Aristotelis esse non putat“. Quam dubitationem leuissimam cum Alexander Aphrodisiensis (cfr. Boëth. l. l. „quem Alexander uere fortiterque redarguit; quem cum exactum diligentemque Aristotelis librorum et iudicem et repertorem iudicauerit antiquitas, cur in huius libri iudicio sit

falsus, prorsus est magna admiratione dignissimum .... His Alexander multa alia addit argumenta, et quod Theophrastus, ut in aliis solet, cum de similibus rebus tractat, quae ab Aristotele antea tractata sunt, in libro quoque de Affirmatione et Negatione eisdem aliquibus uerbis utitur, quibus in hoc libro Aristoteles usus est. Idem Theophrastus dat signum, hunc Aristotelis librum esse: in omnibus enim, de quibus ipse disputat post magistrum, breuiter ea tangit, quae ab Aristotele dicta ante cognouit; alias uero diligentius res non ab Aristotele tractatas exsequitur. Hic quoque idem fecit"), tum Bonitz refutauit, qui caput V. libri II. *περὶ ψυχῆς* 417^b 23 sq. ab Aristotele laudatum esse explicat (index Aristot. pag. 97).

Nec Gumposchii (Ueber die Logik und die log. Schriften des Arist. pag. 91. Leipzig 1839), cui Valentinum Rose assentiri miror atque doleo, opprobrium plus ualet. Qui nil noui libro *περὶ ἑρμηνείας* tradi ratus scriptorem ea tantummodo, quae ipse Aristoteles passim de Affirmatione et Negatione docuerit, monobiblio separato explicauisse putat. At capitibus „Metaphysicorum" *E*, 4 et *I*, 4. 5, librorum „de caelo" I, 12, quorum spoliis librum *περὶ ἑρμηνείας* ornatum esse V. Rose cognouit, ulla argumenti eius pars non expletur.

Praeterea quod definitiones nominis uerbi orationis, quas doctrinae quae sequitur de enuntiatione praeparandae gratia primis capitibus affert, ex capite XX. Poëtices repetierit, laudi potius quam uitio do.

Restant, quae primus Brandisius (Ueber die Reihenfolge der Bücher im Arist. Organon: Abhandl. d. Berl. Akad. 1833), deinde V. Rose (de Aristotelis librorum

ordine et auctoritate) et Prantl (Geschichte der Logik) libro nostro obiecerunt: sermonis genus ab Aristotele abhorrens, argumentum imperfectum atque reliquiarum speciem praebens, dispositio turbata. Quae qui Aristoteli opprobrio uerterunt, accurate quid sentirent non dixerunt.

Equidem in genere dicendi non offendi: quippe; tiro enim sum atque rudis in Aristotele tractando. Quare in ea re difficillima arbitrio meo non multum tribuo aduersantibus uiris per decennia in Aristotele curando uersatis.

Ceterum quod doctrinam enuntiationis perfectam non esse dicunt, imprimis iudicia hypothetica et disiunctiua, deinde conuersiones spectant. Attamen haec cum a toto Organo sint aliena, in libro *περὶ ἑρμηνείας* iniuria desiderantur: illae Analyticorum priorum I, 2 tractantur, utpote quae ad syllogismos tradendos permagni momenti sint.

Sola dispositio turbata relinquitur: quam perturbationem maximam esse non nego.

Accedunt cum sententiae difficillimae interpretatu, tum contextus corruptus mendis librariorum atque interpolatorum importuna sapientia.

Quibus commotus annotationes criticas ad librum *περὶ ἑρμηνείας* scribere conatus sum.

Qua in re me uolgata Aristotelica, editionem Bekkeri dico, usum esse quasi fundamento, par est.

Ceterum cum Iulius Pasius, tum Theodori Waitzii commentarius egregius optime me adiuuerunt. Commentarius Waitzii: nam in textu constituendo ea ratione ab auctoritate eius secessi, quod codici *B*, cui palmam dedit, *A*, ducem Bekkeri, praeferrem.

Aristoteles libro „περὶ ἑρμηνείας“ enuntiationem (λόγον ἀποφαντικόν) tractaturus, id quod ipse capite IV. extremo dicit uerbis „ὁ δὲ ἀποφαντικὸς τῆς νῦν θεωρίας“ (17ᵃ 6.), primis quattuor capitibus ea, quae teneamus oportet ad doctrinam sequentem bene perspiciendam, breuiter exponit.

Itaque primum uniuersam sermonis humani naturam docet (cap. I.); deinde quibus partibus oratio (λόγος) carere nequeat (cap. II. III); tum orationem ipsam, qua enuntiatio, ut species genere, continetur, definit; denique quae differentia secernat enuntiationem a ceteris orationibus, paucis explicat.

CAPUT I.

Argumentum: „Argumento capitum I—IV. breuiter indicato (16ᵃ 1. πρῶτον — ᵃ2. καὶ λόγος) pergit: rerum externarum imagines animis nostris imprimuntur, quarum affectionum signa continentur sermone humano (— ᵃ9. πραγματείας). Qui sermo cum alio munere, nisi cogitationum animi interpretandarum, non sit obstrictus, tot praebet formas, quot formae cogitationum sunt. Quae cum sint duae: altera quae neque ueras neque falsas, altera quae aut ueras aut falsas cogitationes complectatur, etiam sermonis genera prodeunt duo eadem ratione diuisa (— ᵃ13. ἀληθές): primum nominibus uel uerbis solis constitutum, alterum coniunctis.

CAPUT II.

Argumentum: „Quibus expositis nomen, quippe quae pars orationis necessaria sit, definitur (— ᵃ29. ἔστιν ὄνομα): deinde quod nomen infinitum (— ᵃ33. καὶ μὴ ὄντος), et qui casus nominis sit et quomodo differat a nomine ipso, explicatur“.

CAPUT III.

Argumentum: „Nominibus solis oratio componi potest, enuntiatio non potest, ad quam formandam opus est uerbo cum nomine coniuncto. Sequitur igitur definitio uerbi: uerbum est, quod temporis significationem addit (τὸ προςσημαῖνον χρόνον), cuius pars separata nihil significat.“

Comparantibus nobis definitionem nominis capite II. datam primum quod ibi dixit κατὰ συνθήκην hic breuitatis studio permotus adicere noluit, praesertim cum uniuersum sermonem humanum secundum consensum constitutum, non natura factum esse iam capite I. docuisset. Deinde eis, quae ibi leguntur „ἧς μηδὲν μέρος σημαντικὸν κεχωρισμένον“, respondent hic „ἧς μέρος οὐδὲν σημαίνει χωρίς“. Quae quidem in nomen et uerbum aeque quadrant.

Differunt igitur eo tantummodo, quod nomen sit φωνὴ σημαντικὴ ἄνευ χρόνου, uerbum autem τὸ προςσημαῖνον χρόνον uel φωνὴ σημαντικὴ μετὰ χρόνου Poet. 21. 1457ᵃ 14., quia existentiam (sit uenia uerbo) nominis, ad quod additum est, certo alicui tempori adscribit.

Quae differentia si abesset, eadem essent nomina et uerba.

Jam uero solae eae uerbi formae existentiam tempore siue praeterito siue praesenti siue futuro finitam exprimunt, quas uerbi finiti nomine grammatici induerunt. Infinitiui enim uel participia quamuis tem-

poris significationem inuoluant, ut *γράψαι* praeteriti, tamen num quid sit necne non docent; id quod formae uerbi finiti faciunt, cum u. c. *ἔγραψε* dicat „fuit aliquis scribens". Sequitur, ut solum uerbum finitum definitione data ab Aristotele intellegatur. Quod probat cum uniuersae huius explicationis grammaticae consilium, qua partes orationis, quae enuntiationem efficiant, solas i. e. nomen et uerbum finitum erat definiturus, tum exemplum quod sequitur „*ὑγιαίνει*": de eodem exempla *βαδίζει ἢ βεβάδικε*, quae Poet. 21. 1457ª 17. dat, nos certiores faciunt. Idem docent uersus, qui leguntur cap. 5. 17ª 10. „*ἀνάγκη δὲ πάντα λόγον ἀποφαντικὸν ἐκ ῥήματος εἶναι· καὶ . . . ἐὰν μὴ τὸ ἔστι ἢ ἦν ἢ ἔσται προςτεθῇ*; et apertius cap. 10. 19ᵇ 12. *ἄνευ δὲ ῥήματος οὐδεμία κατάφασις ἢ ἀπόφασις . . . τὸ γὰρ ἔστιν ἢ ἦν ἢ ἔσται ῥήματα ἐκ τῶν κειμένων* — ubi? nostro capite 3 — *ἐστί· προςσημαίνει γὰρ χρόνον*.

Cuius uerbi finiti officium, quo fungatur in enuntiatione, accuratissime determinatur eo, quod *τὸ προςσημαῖνον χρόνον* nominatur. Quod quidem interpretor: „significationem temporis addit" i. e. uerbo addito nominis existentia certo alicui tempori delegatur.

Sed unum tantummodo uerbum est, cuius sola uis est temporis exprimendi: dico uerbum „esse". Quo uerbo, quod nullam rem habet sibi subiectam, quam significet, per se pronuntiato nil omnino cogitare possumus; cfr. c. 3. 16ᵇ 24. *αὐτὸ* (sc. *τὸ ὄν*) *μὲν γὰρ οὐδέν ἐστιν*; Anal. post. II, 7. 92ᵇ 13. *τὸ δὲ εἶναι οὐκ οὐσία οὐδενί· οὐ γὰρ γένος τὸ ὄν*. Est enim primum et unum eius officium, ut adiectum uel ad unum nomen existentiam eius uel ad duo nomina coniunctionem eorum de-

finito alicui tempori adscribat, cfr. 16ᵇ 24. *προςσημαίνει δὲ σύνθεσίν τινα*.

Est igitur uerbum *κατ' ἐξοχήν*. Nam in id solum definitio, quam Aristoteles dedit, stricto iure quadrat. Quare Aristoteles eo libentissime utitur exemplo, cfr. cap. 2. 16ᵇ 2. *ὅτι δὲ μετὰ τοῦ ἔστι ἢ ἦν ἢ ἔσται οὐκ ἀληθεύει ἢ ψεύδεται*; cap. 5. 17ª 11. *ἐὰν μὴ τὸ ἔστιν ἢ ἦν ἢ ἔσται προςτεθῇ*; praecipue 19ᵇ 13. *τὸ γὰρ ἔστιν ἢ ἔσται ἢ ἦν ἢ γίνεται ἢ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα, ῥῆμα ἐκ τῶν κειμένων ἐστί· προςσημαίνει γὰρ χρόνον*. Adde exempla enuntiationum, ut *ἔστιν ἄνθρωπος λευκός*, quae saepissime occurrunt.

Reliqua omnia uerba finita quae dicuntur, cum non solum temporis, uerum etiam rei alicuius signa sint, uerbi cum nominis functione coniungunt; ex. gr. *ὑγιαίνει, βαδίζει*. Differunt igitur ab „esse" eo, quod uerbo „est" ad nomen adiecto sola existentia rei nomine repraesentatae definita certo tempore cogitetur, uerbis autem *ὑγιαίνει* uel *βαδίζει* cum nomine coniunctis et existentia et essentia uel qualitas aliqua una uoce simul significantur. Quare ea omnia ita licet interpretari, ut utraque significatio segregata ab altera perspiciatur. Qua solutione semper nomen cum „est" uel „erat" etc. i. e. uerbo *κατ' ἐξοχήν* prodit. Docet enim An. prior. I, 46. 51ᵇ 13 sq., esse *βαδίζει = βαδίζων ἐστί* et *ὑγιαίνει = ὑγιαίνων ἐστί*. Collato capite X., praecipue 19ᵇ 22, *ἐφ' ὅσων δὲ τὸ ἔστι* etc. facile intellegimus, Aristotelem hanc differentiam, quae inter „esse" et cetera uerba omnia sit, accurate sensisse. Quo in capite primum 19ᵇ 21. uerbis eiusmodi, cuius *ὑγιαίνει*, nomen dat compositis (*ῥῆμα συγκείμενον*); deinde postquam enuntia-

tiones in simplices, quae duabus, et compositas, quae tribus partibus constent, distinxit, eas quae uno nomine et uerbo eiusmodi, cuius *ὑγιαίνει*, formantur compositis adnumerat. Quod aperte demonstrari ordine sententiarum in interpretatione illius capitis accuratius exponam. — Quae addit b 10. *καὶ ἔστιν ἀεὶ τῶν καθ' ἑτέρου λεγομένων σημεῖον, οἷον τῶν καθ' ὑποκειμένου ἢ ἐν ὑποκειμένῳ*, de compositis uerbis solis dici facile est intellectu. — —

Iam uero eos locos contemplemur oportet, qui Steinthali (Geschichte der Sprachwissenschaft bei den Griechen und Römern) et Schoemanni (Lehre von den Redetheilen) sententiam comprobare uidentur. Qui quidem uiri doctissimi putant, *ῥῆμα* apud Aristotelem non solum uim grammaticam tenere, ut uerbum, sed etiam logicam, ut praedicatum significet.

At primum Aristoteles in ceteris scriptis uoce *ῥῆμα* nunquam utitur ea ratione: quamquam saepissime poterat. Nam imprimis in libris logicis, quibus coniunctis Organi nomen inditum est, fere innumerabiles sunt loci, in quibus notio praedicati occurrat.

Neque tamen firmum habet terminum, quo ad eam notionem sermone interpretandam utatur: *τὸ κατηγορούμενον, τὸ ὑπάρχον*, alii uariantur; neque notio subiecti una et eadem uoce significatur, cum modo *τὸ ὑποκείμενον* modo *τὸ καθ' οὗ κατηγορεῖται* eam appellet. Quod primo aspectu mirum uidetur: conditor doctrinae logicae et idem alibi terminorum technicorum inuentor studiosissimus notiones subiecti et praedicati, principia doctrinae, parum distinxit et definiuit! Quod ut intellegamus unde sit factum, oportet reputemus, enuntiationem ab Aristotele non diuidi in subiectum praedicatum copulam, sed in *ὄνομα* et *ῥῆμα*. Quare u. c. enuntiationem „*ἔστιν ἄνθρωπος λευκός*" distribuit in *ὄνομα συγκείμενον* i. e. *ἄνθρωπος λευκός* et *ῥῆμα* i. e. *ἔστιν*, neque eum interpretaturum fuisse arbitror „homo — est — albus", sed „est — homo albus" uel „est — albus homo". Ipsius Aristotelis hanc esse sententiam ex ordine uerborum, quo fere in omnibus, quae affert, exemplis *ἔστιν* primum locum occupat, reliqua ex. gr. *δίκαιος* et *ἄνθρωπος* uel *ξύλον* et *λευκόν* ei postposita qualibet serie locantur, luculenter apparet. Idem declarant loci, in quibus nomina enuntiatione coniuncta ex. gr. „*ἄνθρωπος λευκός*" in „*ἔστιν ἄνθρωπος λευκός*" partim subiecti partim praedicati, quae dicimus, uices agere uidentur. Subiecta enim sunt 21b 26 sq., ubi in enuntiatione „*ἔστιν ἄνθρωπος λευκός*" *ἄνθρωπος* et *λευκός* nominantur *ὑποκείμενα πράγματα*, *ἔστι* et *μὴ ἔστιν* autem *προσθέσεις διορίζουσαι τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος*. Non enim utrum notioni „hominis" tanquam suppositae notio „albi" adlegari possit annon, sed utrum notionibus „hominis" et „albi" cogitatione coniunctis in rerum natura res coniunctae respondeant, quarum signa sint illa nomina, annon, quaerit. — Contra aliam rationem secutus esse uidetur in Anal. prior. I, 46. Quo capite demonstrat fieri non posse, ut enuntiatio „est lignum non album" negatio habeatur enuntiationis „est lignum album", quia simul falsae esse possint: de eo enim, quod omnino lignum non sit, falsum esse dicere et „est lignum album" et „est lignum non album". Qua ratione „lignum album" et „lignum non album" quasi praedicata haberi apparet, quae num de quauis re praedicari possint uel utraque uel altera uel nulla inuestigatur: uelut si quid

digito monstrans dicas „hoc est lignum album (uel non album)“, non de ligno aliquo dato enunties „hoc lignum est album (uel non album)“.

Neque solum facultate saepenumero oblata Aristoteles uoce „ῥῆμα“ non utitur ad notionem praedicati exprimendam, sed unus, in quo ῥῆμα extat in Organi libris, locus eandem significationem, quam liber περὶ ἑρμηνείας, i. e. uerbi finiti confirmat; Topic. Z 11. 148^b 34—36. ἰσόκωλος δὲ λέγεται ὁ λόγος εἶναι, ὅταν ὅσαπερ ᾖ τὰ συγκείμενα, τοσαῦτα καὶ ἐν τῷ λόγῳ ὀνόματα καὶ ῥήματα ᾖ.

In libro περὶ ἑρμηνείας duo potissimum loci sunt, quibus nisi Steinthal et Schoemann ῥῆμα uim praedicati habere contenderunt. Primus est c. 10. 20^b l. 11., quo cum demonstretur locos nominis et uerbi permutatos enuntiationis sententiam non attingere, u. gr. ἔστιν ἄνθρωπος λευκός et ἔστι λευκὸς ἄνθρωπος inter se non differre, certe adiectiuo „δίκαιος“ nomen „uerbi, ῥήματος“ datur. Sed cum totam eam capitis decimi partem, quae uersus 20^b 1—12. continet, ab Aristotele scriptam non esse suo loco me demonstraturum esse sperem, ad soluendam quaestionem de usu sermonis Aristotelici institutam nullo modo adhiberi potest.

Alter est 20^a 31: Aristoteles spectans enuntiationem „ἄνθρωπός ἐστι μὴ δίκαιος“ adiectiuum δίκαιος cum negatione coniunctum ῥῆμα ἀόριστον i. e. uerbum infinitum uocare uidetur. Sed definitione nominis, quae cap. 2 data est, bene perpensa dubitare non possumus, quin adiectiua notioni nominis subiciamus. Quod ex Aristotelis sententia fieri planum est contemplantibus Poët. 20. 1457^a 16—18, quibns uersibus cum ad defini-

tionem uerbi eandem fere, quam in nostro libro habemus, interpretandam addiderit „τὸ μὲν γὰρ ἄνθρωπος ἢ λευκὸν οὐ σημαίνει τὸ πότε, τὸ δὲ βαδίζει ἢ βεβάδικε σημαίνει τὸ μὲν τὸν παρόντα χρόνον, τὸ δὲ τὸν παρεληλυθότα“, album eodem iure quo ἄνθρωπος nominis exemplum haberi non nequit. Idem usus in nostro libro inuenitur cap. 5. 17^a 13. „δι᾽ ὅτι δὲ ἕν τί ἐστιν ἀλλ᾽ οὐ πολλὰ τὸ ζῷον πεζὸν δίπουν“ etc., quo uersu definitione hominis ζῷον πεζὸν δίπουν utitur exemplo orationis, quae cum uerbo careat, enuntiatio uocari non possit.

Oratio est, uerbo caret: sequitur ut πεζὸν et δίπουν adiectiua habeantur nomina. Quare ut Poët. l. l. „homo“ et „album“ nominis, ita hic (20^a 31.) „non homo“ et „non album“ nominis infiniti exempla habeamus oportet.

Iam uero dixeris fortasse: quid caussae est, quin Aristoteles locutus de nomine et uerbo infinitis uerbi ullum exemplum dederit post nominis duo? Nam utriusque unum afferre e re fuit; omisso altero alterum uno illustrari breuitatis amore excusari poterat; sed alterum nullo, alterum pluribus, quam quibus opus erat, exemplis declarari concinnitatem nimis offendere uidetur. Recte tu quidem. Mendum inest, cui nisi detecta origine mederi non possumus. Quam originem inuentum iri in capite 3. puto, ad quod reuertimur.

Definitione uerbi perfecta pergitur: 16^b 12. τὸ δὲ οὐχ ὑγιαίνει καὶ οὐ κάμνει οὐ ῥῆμα λέγω etc. — ^{b}15. καὶ μὴ ὄντος „non ualet et non aegrotat uerbum non uoco. Quamuis maxima ex parte cum definitione uerbi congruant, quippe quae significationem addant temporis et semper de aliquo praedicentur, tamen differentia est, cuius gratia propria appellatione a uerbo

segregentur. Nam pariter de eis, quae sunt, atque de eis, quae non sunt, praedicari possunt. Quare uocentur uerba infinita.

Nomen et uerbum infinita cum in nullo alio libro Aristotelis, tum ne in capite 20. artis Poëticae quidem commemorantur. Quo in capite, quod totum partes orationis tractat, cum nomen et uerbum paene eisdem, quibus in nostris capitibus 2. et 3., uerbis definiantur (1457^{a} 10—18.), infinita autem plane omittantur, apparet infinita ad usum libri *περὶ ἑρμηνείας* de industria esse inuenta ac constituta. Quod ipse dicit 16^{a} 30. „*οὐ μὴν οὐδὲ κεῖται ὄνομα ὅτι δεῖ καλεῖν αὐτό*". Etenim adiectiuum et negatio in unum coniuncta, u. c. *οὐ λευκόν, οὐ δίκαιος* cum in reliquis Aristotelis scriptis haud raro inueniuntur, tum Anal. prior. I, 46. 51^{b} 5 sqq. copiose de enuntiationibus, quarum pars formetur adiectiuo infinito, agitur. Substantiua autem infinita excepto libro *περὶ ἑρμηνείας* in Organo semel tantum inueni: Anal. post. I, 11. 77^{a} 16—18., ubi *μὴ ἄνθρωπος, μὴ ζῷον, μὴ Καλλίας* commemorantur, nec me alios locos praetermisisse puto.

Contra in libro *περὶ ἑρμηνείας* nomina illa infinita magni sunt momenti. Nam initio capitis 10. ad duo genera affirmationum et negationum distinguenda eis utitur, quasi fundamento, cum 19^{b} 10. haec sint uerba: *ἔσται πᾶσα κατάφασις ἢ ἀπόφασις ἢ ἐξ ὀνόματος καὶ ῥήματος ἢ ἐξ ἀορίστου ὀνόματος καὶ ῥήματος.* Et re uera cum in toto capite 10. enuntiationes, quae nomine infinito utantur, seorsum tractantur cf. 19^{b} 16. et 19^{b} 37—20^{a} 2., tum 20^{a} 31 sq. „*μὴ ἄνθρωπον*" oppositum esse nomini „*ἄνθρωπος*" dicitur (*αἱ κατὰ τὰ ἀόριστα*

ἀντικείμεναι ὀνόματα). Idem legimus 23^{b} 31. Apte igitur Aristoteles proprium nomen „nominum infinitorum" eis dedit.

Inepte autem uerbum infinitum inuenisse uidetur. Nam tantum abest, ut in enuntiatione negatiua uerbum et negationem coniuncta uocet uerbum infinitum: id quod Alexandrum Aphrodisiensem testari Ammonius affert in scholio ad 19^{b} 5. sq. „*Ἀλέξανδρός φησι ... ἐν μέντοι τῇ ἀποφάσει „„Σωκράτης οὐ βαδίζει"" οὐκ ἂν εἴποιμεν ἀκριβολογεῖσθαι βουλόμενοι τὸ „„οὐ βαδίζει"" ῥῆμα εἶναι ἀόριστον, ἀλλὰ μᾶλλον ῥῆμα καθ' αὑτὸ μὲν ὡρισμένον, τοῦ δὲ ὑποκειμένου ἀποφατικῶς κατηγορούμενον*" ...; ut uerbo infinito plane neglecto omnes enuntiationes et affirmantes et negantes ex uerbo et nomine uel nomine infinito constare (19^{b} 10. *ἔσται πᾶσα κατάφασις καὶ ἀπόφασις ἢ ἐξ ὀνόματος καὶ ῥήματος ἢ ἐξ ἀορίστου ὀνόματος καὶ ῥήματος*) aut uerbo carere nequire (17^{a} 10. *ἀνάγκη δὲ πάντα λόγον ἀποφαντικὸν ἐκ ῥήματος εἶναι*) perspicuis uerbis asserat.

Locos nostri libri, quibus uerbi infiniti mentio fit, nobis spectantibus — nam in reliquis Aristotelis scriptis uerbum cum negatione coniunctum nisi in enuntiationibus negantibus nunquam occurrit, nedum ipsa appellatio uerbi infiniti reperiatur — primum cap. X. 19^{b} 9. „*ὥσπερ καὶ τὸ οὐχ ὑγιαίνει οὐ ῥῆμα ἀλλ' ἀόριστον ῥῆμα*" quid sibi uelint nescio. Ea enim, quae uncinis inclusa sunt, eorum quae praecedant explicandorum gratia addi nemo est quin fateatur. Itaque ad *ὄνομα* et *τὸ ἀνώνυμον* uersu sexto commemorata referenda sunt ^{b}7—9. *τὸ δὲ ὄνομα εἴρηται — ἀλλ' ἀόριστον ὄνομα:* quibus adiecit *ἓν γάρ πως σημαίνει καὶ τὸ ἀόριστον,* ne

quis credat enuntiationem, quae nomine infinito utatur subiecto, rumpere praeceptum modo (u. 6 *ἓν δὲ δεῖ εἶναι καὶ καθ' ἑνὸς τὸ ἐν τῇ καταφάσει*) datum. At uerbum infinitum neque uersibus praecedentibus, ad quos interpretandos ea, quae uncinis inclusa sunt, adiecit, neque omnino in capite decimo commemoratur. Accedit, quod uerba *ὥσπερ — ἀλλ' ἀόριστον ῥῆμα* orationem maxime turbant. Nam certe ante *ἓν γάρ πως* collocanda erant, cum *ὥσπερ* ad *ἀλλ' ἀόριστον* referatur „non homo uoco nomen infinitum, ut *οὐχ ὑγιαίνει* uerbum infinitum", non ad *ἓν γάρ πως* etc.

Alter locus, qui uerbi infiniti ab Aristotele inuenti testis uidetur, quantam habeat offensionem iam supra demonstratum est: dico 20^{a} 31.

Itaque uerbum infinitum, cum ad duos, quibus solis commemoretur, locos interpretandos maximam moueat difficultatem, quae nisi uerbo infinito eiecto quomodo remoueatur non uideo, cum praeterea ad doctrinam enuntiationis, cuius tradendae caussa inuentum esse uidetur, nullum usum praebeat, ab alio Aristotelis libro insertum esse non dubito. Qui quidem interpolator cum uidisset, nomen infinitum capite praecedenti ab Aristotele constitui, eodem iure uerbum negatione adiecta infinitum uocari putabat. Quod eadem ratione, qua Aristoteles in capite II. nomini nomen infinitum apposuerat, in capite III. uerbo adiecit definitione ab Aristotele repetita: nam pro „*οὐ μὴν οὐδὲ κεῖται ὄνομα ὅτι δεῖ καλεῖν αὐτό· ... ἀλλ' ἔστω ὄνομα ἀόριστον, ὅτι ὁμοίως* etc." (16^{a} 30 sq.) dixit 16^{b} 14. *τῇ δὲ διαφορᾷ ὄνομα οὐ κεῖται· ἀλλ' ἔστω ἀόριστον ῥῆμα, ὅτι ὁμοίως* etc., ultima definitionis parte uerbotenus exscripta ex capite II. Quo

facto totum librum perscrutatus, ubi nominis infiniti mentionem factam uidit, uerbum suum infinitum, utrum apte an inepte faciat non laborans, inseruit. Quae interpolatio ut extirpetur, primum cap. III. uersus 16^{b} 12—15. „*τὸ δὲ οὐχ ὑγιαίνει — ὄντος καὶ μὴ ὄντος*", deinde 19^{b} 9. uerba „*ὥσπερ καὶ τὸ οὐχ — ὑγιαίνει οὐ ῥῆμα, ἀλλ' ἀόριστον ῥῆμα*", denique 20^{a} 31. „*καὶ ῥήματα*" eicienda mihi uidentur.

Secuntur 16^{a} 16. casus uerbi, ut antea casus nominis. „A uerbo casus uerbi ita distinguuntur, ut illo praesens, his cetera tempora contineantur. Differunt autem, quod formae praesentis additae ad nomen aliquod tempus praesens, formae ceterorum temporum circumiacens tempus significent". Profunda sapientia est. Praesens tempus praesens, futurum futurum exprimit.

Attamen definitio uerbi, quae initio capitis data est, tempora praesens praeteritum futurum pariter complectitur: nam pariter „*χρόνον προςσημαίνουσι*", pariter „*ἀεὶ καθ' ἑτέρου λέγονται*". Quid igitur mouit Aristotelem, ut postea uerbum temporibus futuro et praeterito emissis artioribus finibus includeret? Quam difficultatem iam Herminum interpretem uidisse docet Ammonius schol. Brand. ad 16^{a} 18.

Dixeris fortasse, etiam nominis definitionem initio capitis II. datam in casus nominis, quos postea segregauit, non minus cadere, quam in nominatiuum, quem appellationi „nominis" solum reliquit. At Aristoteli officium spectanti, quo nomen in enuntiatione fungitur, prima illa definitio imperfecta iure uidebatur: perspexit enim, non omnes in quas caderet uoces subiecti munus sustenturas esse. Quibus propria appellatione casuum

secretis nominatiuos, quippe qui cum „est“ uel „erat“ uel „erit“ coniuncti semper aliquid ueri uel falsi pronuntient, solos dignos habuit appellatione nominum.

Quae caussa in casibus uerbi, quos habemus, constituendis Aristotelem certe non mouit: nam omnia tempora, et praesens et reliqua, enuntiationem formare possunt. Quod intellegitur ex capite I. 16^{a} 17. . . . *οὔπω ἀληθὲς ἢ ψεῦδος* (sc. in enuntiatione est), *εἰ μὴ τὸ εἶναι ἢ μὴ εἶναι προςτεθῇ ἢ ἁπλῶς* (i. e. tempore praesenti) *ἢ κατὰ χρόνον* (i. e. temporibus praeterito uel futuro); 16^{b} 2. *ὅτι δὲ μετὰ τοῦ ἔστιν ἢ ἦν ἢ ἔσται οὐκ ἀληθεύει ἢ ψεύδεται;* aliis locis.

Adeo ipse ea tempora, quae uerba esse in capite III. (^{b}16. *οὐ ῥῆμα λέγω*) negantur, alibi uerborum appellatione aperte complectitur: cfr. cap. X. 19^{b} 13. *τὸ γὰρ ἔστιν ἢ ἔσται ἢ ἦν ἢ γίνεται . . . ῥήματα ἐκ τῶν κειμένων ἐστί* i. e. „ex eis quae statui“, quibus ad caput III. reicimur. Quo in capite si *ἔσται* et *ἦν* „*ῥήματα*“ esse negauisset, quomodo eum testem contrarii citare licebat?

Simili ratione in Poët. cap. XX., quod caput cum primis libri *περὶ ἑρμηνείας* capitibus multis modis ita congruere uidemus, ut eum qui alterum scripserit alterum cognouisse appareat, definitione perfecta exempla uerbi afferuntur *βαδίζει* et *βεβάδικε* (1457^{a} 17.) i. e. tempora praesens et praeteritum.

Quae quidem caussae suspicionem de his uersibus primam mouerunt. Neque tamen sufficere uidebantur, quibus freti uersus aliena manu iniectos esse iudicaremus.

Sed confirmabat suspicionem, quod in eodem capite artis Poëticae casus uerbi plane alii uocantur: dico for-

mas interrogatiuas et imperatiuas (1457^{a} 21.). Aptissime et conuenienter casibus nominum: sunt enim formae uerbi, quae enuntiationem constituere nequeunt; cfr. cap. IV. 17^{a} 2—6. „precationem (quippe quae formetur modo optatiuo) esse orationem, enuntiationem non esse“ confitetur; idem quod de oratione interrogante uel iubente ualet.

A qua casuum notione aptissima Aristotelem nulla caussa permotum in libro *περὶ ἑρμηνείας* recessisse uerisimile non est.

Itaque non temere conicere mihi uideor, etiam hos qui de casibus sunt uersus 16^{b} 16—18. ab eodem illo interpolatore additos esse; eundemque nouam suam inuentionem casuum uerborum in cap. V. 17^{a} 10. *ἢ πτώσεως ῥήματος* introduxisse. Nam cum uersus qui praecedunt aliena manu insertos esse nobis persuasum sit, mendo in hoc capite perspecto facile est ad arbitrandum, eandem manum plures quoque iniecisse. Sed fortasse fons erroris, quo ductus temporibus praeterito et futuro uocatis casibus Aristotelis sententiam se sequi putabat, inuestigari potest. In capite Poëtices, quod laudaui, casuum uerbi exempla afferuntur *ἐβάδισεν ἢ βάδιζε,* illud formae interrogatiuae (*κατ᾽ ἐρώτησιν*), hoc imperatiuae (*κατ᾽ ἐπίταξιν*) illustrandae gratia.

Quod cum obiter legisset interpolator, *ἐβάδισεν* tempus praeteritum uerbi finiti (= ibat) esse arbitratus, id tempus uocari casum putauit. (Vahlen, Ber. der Wiener Akad. coniecit „*ἆρ᾽ ἐβάδισεν;*“ quodsi rectum est atque interpolatoris tempore legebatur, ne is quidem de aoristo narrante cogitare potuit. At coniecturam non probo. Legendum mihi uidetur „*τὸ γὰρ* „„*ἐβάδισεν;*““ *ἢ* „„*βά-*

διζε"" etc." graeco interrogationis signo i. e. ; adiecto: quo facto qui locum legit, uocis modulatione sola formas distinguere debet.) Addito tempore praeterito cum nouam casus uerbi definitionem perfecisset, eam una cum uerbo infinito a se inuento capiti nostro inseruit.

Caussae, quas exposui, me adduxerunt, ut capitis III. partem, quae est inde a uersu 16^b 12. *τὸ δὲ οὐχ ὑγιαίνει* usque ad 16^b 18. *τὸν πέριξ* e contextu relegarem. Neque audacius facere mihi uideor cogitanti, nos uestigia interpolatoris luce clariora in reliqua libri parte reperturos esse. Quibus cum probatum sit, esse in hoc libro quae ab Aristotele scripta esse ut putemus non possumus adduci, leuitatem coniciendi opprobrio non uertes ei, qui librum maculis maxime perspicuis dilutis Aristoteli uindicare conatus sit.

Ceterum quod nunc tractamus caput III. inter difficillima habendum est. Quod probant qui secuntur uersus 16^b 19—25. Haec eorum sententia uidetur: „Uerba *αὐτὰ καθ' ἑαυτά* pronuntiata sunt nomina et significant aliquid: sed utrum id, quod significatur, sit necne nondum docent. Neque enim „esse" neque „non — esse" signum rei est, neque „*ὄν*" *αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ ψιλόν*.

Uulgo interpretantur, „uerbis ipsis per se dictis" (*ῥήματα αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ λεγόμενα*) significari ab Aristotele uerba, quae antea definiuit, sola sine nomine pronuntiata ex. gr. *ὑγιαίνει* uel *ἔστιν*. Quae est Ammonii I. Pacii Boëthii Waitzii Bonitzii (ad Metaph. *Γ*, 4. 1006^a 30.) Steinthalii Prantlii Vahleni sententia. Qui cum uidissent, exemplorum munere fungi infinitiuos et participia (u. 22. 23), eis omnes uerbi formas comprehendi putabant. Contra ipsius Aristotelis definitionem paucis

uersibus ante datam oratione tam perspicua, ut quid uelit dubitari nequeat. Nam cum *προςσημαῖνον χρόνον* praecipua definitionis pars sit, quippe qua differentia specifica declaretur, ut nominis cap. II. 16^a 20. uerbis „*ἄνευ χρόνου*", quocum conferatur Poët. 20, ubi nomen *φωνὴ σημαντικὴ ἄνευ χρόνου*, uerbum *φωνὴ σημαντικὴ μετὰ χρόνου* aperte uocentur; quomodo iam in eodem capite participia et infinitiuos exempla uerbi afferre potuit?

Sed ea latiore ui uocis „*ῥῆμα*" concessa, quid est, quaeso, quod ea exempla sola attulerit Aristoteles, uerbis quae proprie nominantur plane omissis? Quae caussa rationem tam insolitam excusat? Nulla, opinor. Immo optima: nam quae dicit in uerum *ῥῆμα* i. e. uerbum finitum omnino non cadunt.

Nam primum uerbi finiti formae, quamuis a nominibus separatae, nullo pacto nomina uocari possunt: ex. gr. si *ὑγιαίνει* nomen esset, certe esset nomen *μετὰ χρόνου*. Quae contradictio in adiecto est: nam nomen est *φωνὴ σημαντικὴ ἄνευ χρόνου*. Deinde quae dicit *σημαίνει τι, ἀλλ' εἰ ἔστιν ἢ μὴ οὔπω σημαίνει* „formas uerbi finiti nondum significare utrum sit aliquid an non sit" uero contraria uidentur. Fieri enim non potest, quin significent esse aliquid uel non esse. Semper existentiam i. e. „esse aliquid", nunquam essentiam i. e. „quid sit" significant. Ex. gr. *βαδίζει*, quod idem esse ac *βαδίζον ἐστί* ipse Aristoteles docet, quamuis quid sit, quam habeat *οὐσίαν* id quod meet, non pronuntiet, certe esse aliquid idque meare declarat. Et ipsum „*ἔστι*" nullo nomine addito nos certiores facit esse aliquid, licet quid sit nesciamus. Falsa igitur sunt, quae dicit „*εἰ*

ἔστιν, οὔπω σημαίνει“: recte dixisset „*τί ἐστιν οὔπω σημαίνει*“. Quodne coniciam, ne metuas.

Iam me demonstrauisse credo „uerbis *αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ* dictis“ formas uerbi finiti neque solas neque latiore uocis *ῥῆμα* ui inuenta una cum participio et infinitiuo significari: nam ut significentur, cum ea, quae inde a u. 22. *οὐδὲ γὰρ τὸ εἶναι* secuntur, sententiarum continuationem rumpere uidentur, tum quae u. 19—21. de „uerbis *αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ* dictis“ suis docet, a uerbo finito alienissima sunt.

Quo seiuncto cum eae tantum uerbi quod dicimus formae restent, quibus existentia tempore finita non intellegatur, i. e. infinitiui et participia; de eis Aristotelem cogitasse, cum *ῥήματα αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ λεγόμενα* scriberet, consentaneum uidetur.

Quo probato primum quidem quae uersibus 19—25. traduntur conuenienter et congruenter dicta esse facile est intellectu: „Participia et infinitiui sunt nomina et significant aliquid“ (u. 19). Recte. Nam temporis de aliquo definiendi facultate deposita cum facultas significandi, quae communis est nominum et uerborum, non tollatur (nam *σημαίνει τι* i. e. est *φωνὴ σημαντική*), iam uerbum definitione nominis continetur. cfr. Metaph. *Γ*, 4. 1006ª 30. ubi eadem ratione infinitiuos uocat nomina „*τὸ δὲ ὄνομα τὸ εἶναι ἢ μὴ εἶναι*“. — Pergitur: „*ἀλλ' εἰ ἔστιν ἢ μὴ οὔπω σημαίνει*“ (16ᵇ 21.); nomen, quod modo ex uerbo ortum est, eam quoque proprietatem nominis sustinet, qua utrum id cuius est signum sit annon solum non exprimit. Quod paucis uersibus post exemplo illustrat; cap. IV. 16ᵇ 28. „*ἄνθρωπος σημαίνει μέν τι, ἀλλ' οὐχ ὅτι ἔστιν ἢ οὐκ ἔστιν;* cf. cap. I. 16ª 13.

τὰ μὲν οὖν ὀνόματα αὐτὰ ... ἔοικε τῷ ἄνευ συνθέσεως καὶ διαιρέσεως νοήματι. — 16ᵇ 22 sq. *οὐ δὲ γὰρ τὸ εἶναι.* Tantum abest, ut exprimat, num id cuius signum est sit, ut infinitiuus et participia uerbi *κατ' ἐξοχήν, εἶναι* dico uel *μὴ εἶναι,* ne signa quidem rei alicuius, quae num sit quaeri possit, sint.

Quamuis omnium reliquorum uerborum participia et infinitiui certam aliquam cogitationem efficiant, certi aliquid animis nostris repraesentent, ut exemplum facile fingamus, ex. gr. *βαδίζειν* uel *βαδίζων* pronuntiantes animal aliquod means cogitemus, tamen „esse“ uel „ens“ solum ad ullam rem referri non potest; „ens“ enim nihil est „*αὐτὸ γὰρ οὐδέν ἐστι*“; cfr. Anal. post. 92ᵇ 13. *τὸ εἶναι οὐκ οὐσία οὐδενί· οὐ γὰρ γένος τὸ ὄν.* Nil uoce „esse“ cogitamus, nisi coniunctionem quarumlibet rerum. Quae coniunctio cum in rerum natura non inueniatur, nisi coniunctio aliquarum rerum est: etiam uox qua sermo interpretatur, esse aliqua coniuncta, i. e. „esse“, plane nihil declarat, nisi quaenam sint coniuncta addis.

Itaque infinitiuis et participiis intellectis omnia plana sunt.

Restat, ut de ratione, qua infinitiuos et participia uocauerit, dicam, utpote quae tam obscura sit, ut aliud quidpiam cogitari facile existimes. Nam quae dicuntur „*ῥήματα αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ λεγόμενα*“ solito sermonis Aristotelici usu interpretaberis „uerba pro se sola pronuntiata“, ut de „*ὑγιαίνει*“ aliis eiusmodi cogites: nam uerba sunt ex definitione uerbi. Tamen non id mihi agendum est, ut ex hac locutione notionem participii uel infinitiui enucleem, qua interpretatione fretus ea,

quae secuntur, ad participia et infinitiuos referam: sed ex contrario cum demonstrauerim, nil nisi ea sequentibus uersibus intellegi posse, id tantum explicem oportet, quomodo ea ita significari potuerint. Itaque meminerimus, terminos technicos quibus participia et infinitiui uocentur Aristotelis tempore nondum inuentos esse. Ceterum cum formae uerbi finiti, nisi cum nomine coniunctae in sermone non adhibeantur neque ullum sensum praebeant, consentaneum uidetur nos „uerbis solis pro se dictis“ statim de reliquis uerbi formis cogitare i. e. participiis et infinitiuis.

CAPUT IV.

Argumentum: „Definitiones nominis et uerbi sequitur orationis ex eis compositae (16^b 26. *λόγος δὲ* — 28. *ἢ ἀπόφασις*). Cuius definitionis pars ea, qua differentia specifica continetur, dico „*ἧς τῶν μερῶν τι σημαντικὸν κεχωρισμένον*“, sequentibus uersibus (28. *λέγω δὲ* — 33. *ὡς προείρηται*) accuratius explicatur. Nam nomen uerbum oratio (*ὄνομα ῥῆμα λόγος*) sunt tres species, quarum genus ab Aristotele Poet. 20. 1456^b 20. uocatur „*μέρη λέξεως*“, partes sermonis. Communes earum notae sunt: primum „*φωνὴ σημαντική*“ uox significatiua, deinde quod secundum consensum „*κατὰ συνθήκην*“ constitutae sunt: differunt ea re, quod nominis et uerbi partes per se nihil significant (16^a 20. *ἧς μηδὲν μέρος ἐστὶ σημαντικὸν κεχωρισμένον*, 16^b 6. *οὗ μέρος οὐδὲν σημαίνει χωρὶς*), orationis nonnullae partes, sc. nomen et uerbum, uim propriam habeant.

Sed orationes sunt uariae: omissis omnibus eis, quibus ueri uel falsi aliquid non declaretur, ut precatio

interrogatio, enuntiationem, qua orationum specie sola semper uerum uel falsum dicitur, eligit ad pertractandum (17^a 1—7.).

CAPUT V.

In capite quinto sententiarum continuatio ita desideratur, ut ordo enuntiatorum plane solutus et turbatus esse uideatur.

Nam cum duae res diuersissimae eo doceantur, altera alteram bis uehementer interrumpit itaque neutra continua et plana est.

Primum agitur de ratione, qua genus enuntiationum in species diuidendum sit. Quam ad diuisionem primi capitis uersus pertinere uidentur, quibus differentiam inter affirmationes negationesque et enuntiationes coniunctione copulatas statui interpretes explicant. — Versus qui secuntur paullo post, 17^a 15. *ἔστι δὲ εἷς λόγος* — 17. *ἢ οἱ ἀσύνδετοι*, eandem doctrinam planiorem et perfectiorem reddunt. Summam enim enuntiationum differentiam esse unarum et multarum. Sed utrasque duas species complecti: nam unas uocari et eas, quae unum factum (uerum uel falsum) significent, et eas, quae cum multae sint coniunctione copulentur; multas contra et eas, quae multa facta significent, et eas, quae coniunctione careant.

A quibus uersus 20. *τούτων δὲ ἡ μὲν ἁπλῆ* usque ad finem capitis separari nequeunt. Declarant: priores enuntiationes unas, quas descripsimus, uocari simplices, cum aliquid de aliquo affirment uel negent; alteras quae e prioribus coniunctione copulatis constent, quamuis unae uocentur, tamen esse quodammodo orationes compositas.

Enuntiationes

I. unae	II. multae
a) quae unum factum significent i. e. simplices	*a*) quae multa facta significant.
b) quae coniunctione in unam copulantur i. e. orationes quodammodo compositae	*b*) quae coniunctione carent.

Ita recta diuisione notionis ductus peruenit Aristoteles ad enuntiationes simplices: quas cum capitibus sequentibus solas tractaturus sit, statim definit ratione specierum i. e. affirmationis et negationis habita: 17ª 22—24. *ἔστι δὲ ἡ μὲν* etc. Simplex enuntiatio est uox, quae significat aliquid esse uel non esse.

Altera res de qua agitur hoc capite uersibus 17ª 9. *ἀνάγκη δὲ* — 15. *τοῦτο εἰπεῖν* et ª17. *τὸ μὲν οὖν* — 20. *προαιρούμενον* continetur. Qui quidem duo loci, cum plane diuersi sint ab eis, quae de diuisione enuntiationum modo exposuimus, inter se aptissime congruunt. „Enuntiationem nisi uerbo et nomine coniunctis non formari (9—15); nomen autem uel uerbum solum *φάσιν* esse, non *ἀπόφανσιν*, siue quis interrogatus siue sponte ea pronuntiet (17—20)".

Ratio autem qua uersus 17 — 20. cum praecedentibus et sequentibus cohaereant nulla esse uidetur. Nam quod declarant, enuntiationes nominibus uel uerbis solis non formari, quid ad enuntiationes unas et multas, simplices et compositas distinguendas attinet? Accedit quod *τούτων δὲ* (u. 20), cum ad *εἷς λόγος ἀποφαντικὸς* (u. 15) certe sit referendum, aliam et plane alienam sententiam interiectam non patitur. Itaque uersus 17 — 20. ex hoc loco certe sunt remouendi: quo facto omnia

quae 17ª 15—24. leguntur plana et concinna esse iam supra demonstrauimus. Sed ubi sint collocandi statuere non poterimus, antequam priorem capitis partem maxime confusum perspexerimus.

Incipit: *ἔστι δὲ εἷς πρῶτος λόγος ἀποφαντικὸς κατάφασις, εἶτα ἀπόφασις· οἱ δὲ ἄλλοι πάντες συνδέσμῳ εἷς.* Waitz, ex cuius commentario se frustra interpretationem huius loci difficillimi quaesiuisse dicit Bonitz in recensione editionis Waitzianae scripta „Jenaische Litt. Ztg." 1845. pag. 846 sqq., cum adnotet „reliqui (sc. *λόγοι*?) enim omnes ex hoc originem habent, ut ex simplici id quod compositum est: affirmatio autem prior est negatione", interpretari uidetur: „Una enuntiatio ea est, quae prima uocatur, dico affirmationem: deinde negatio, reliquae autem enuntiationes omnes coniunctione unae fiunt". Quae interpretatio ferri nequit. Nam affirmatione et negatione exceptis quae sunt reliquae? Nullae sunt, cum etiam eae enuntiationes quae *συνδέσμῳ εἷς* sunt alteri horum duorum generum subiectae sint. Quare haec interpretatio totius capitis argumento plane contradicit. Qua probata cum omnes affirmationes et negationes uocentur unae enuntiationes, sequitur ut omnes enuntiationes unae sint: nam omnes uel affirmationes uel negationes sunt. Itaque neque aliam caussam statui, de qua aliae uocentur unae (id quod fit uerbis *οἱ δὲ ἄλλοι συνδέσμῳ εἷς*), neque eas enuntiationes quae multa significent (ex. gr. Socrates et Alcibiades spatiantur) multas uocari licet: sunt enim uel affirmationes uel negationes eaque de caussa unae.

Neque ea ratio ualet qua uoce *πρῶτος* ad *οἱ δὲ ἄλλοι* relata interpreteris: „Primo loco una oratio (*λόγος*)

est enuntiatio, sc. affirmatio deinde negatio, reliquae autem omnes orationes coniunctionibus unae fiunt". Quae absurda sunt. Neque enim omnino de aliis orationibus, nisi de enuntiationibus, agitur hoc capite, neque reliquae omnes coniunctionibus in unum coniunguntur.

De enuntiationibus autem hypotheticis quae dicuntur ne cogites quidquam statui uerbis *οἱ δὲ ἄλλοι πάντες συνδέσμῳ εἷς:* id quod Ammonius (schol. apud Brand. ad 17ᵃ 15: *ταύτην οὖν τὴν ἀπὸ τῶν σημαινομένων διαφορὰν παραδοὺς ἡμῖν διὰ τούτων ἕνα λόγον ἀποφαντικὸν εἶναί φησι, κυριώτερον μὲν τὸν ἓν σημαίνοντα, δευτέρως δὲ καὶ τὸν συνδέσμῳ τὸ ἓν ἔχειν λεγόμενον . . . Ἐν δὴ τούτοις συνδέσμῳ μὲν ἕνα λόγον ἀκουστέον . . . τοὺς ἐν τοῖς ὑποθετικοῖς καλουμένοις συλλογισμοῖς κατὰ τὸ συνημμένον ἢ διεζευγμένον παραλαμβανομένους, οἷον »εἰ ὁ θεὸς ἀγαθὸς, αἴδιον τὸ πᾶν« . . . ὥστε εἶναι τὸ λεγόμενον ὅτι εἷς λόγος ἀποφαντικός ἐστιν ἢ ὁ ἕν τι καθ' ἑνὸς κατηγορῶν (καταφατικῶς ἢ ἀποφατικῶς) ἢ ὁ σχέσιν μίαν ὑπάρξεων δύο σημαίνων ἢ κατὰ ἀκολουθίαν ἢ κατὰ διάστασιν ἐμφαινομένην ὑπὸ τῶν ταύτην τὴν δύναμιν ἐχόντων συνδέσμων, καὶ λέγων ἤ· τίνος ὄντος τί ἐστιν; ἢ τίνος ὄντος τί οὐκ ἔστι; καὶ διὰ τοῦτο λεγόμενος ὑποθετικός*) et Probus interpres Syrus (J. Georgius Ern. Hoffmann „De Hermeneuticis apud Syros Aristoteleis" Lipsiae 1869. pag. 106: „*ἀπόφασις* et *κατάφασις* posuit pro praedicatione, *ὁ* autem *συνδέσμῳ εἷς* pro hypothetica i. e. pro supponenti") nobis persuadere student. Sed enuntiationes hypotheticae cum et ipsae uel affirmationes uel negationes sunt, a quibus tanquam tertia species separari nequeunt, tum una cum syllogismis eiusdem generis et a reliquis Organi libris et a *περὶ*

ἑρμηνείας maxime sunt alienae. Quod cum uidissent uiri docti, pars (iure opinor) laudauit (Trendelenburg „elem. log. Arist." adnot. ad § 6; idem „Log. Unters." 2. aufl. II, 249 anm. 2; Waitz comment. ad Anal. pr. I, 23. uol. I, 433 et ad An. pr. I, 29. uol. I, 456; Val. Rose. De Aristotelis librorum ordine et auctoritate pag. 120), pars uituperauit (imprimis Biese „die philosophie des Aristoteles" sc. Hegeliano-Biesiani; Brandis „die reihenfolge der bücher des Arist. Organon" Ber. d. Berl. Acad. 1833).

Iam uero apparet, ea quae leguntur corrupta esse. Reputantibus igitur nobis, uerbis „*οἱ δὲ ἄλλοι* (sc. *λόγοι ἀποφαντικοί*) *πάντες συνδέσμῳ εἷς*" eas enuntiationes quae coniunctione sola in unum conferantur aliis certe opponi, quae alia de caussa *εἷς* uocentur, ea caussa exprimatur uerbis antecedentibus oportere facile est intellectu. Quae caussa sit, post paucos uersus (u. 16) uerbis „*ἢ ὁ ἓν δηλῶν*" significatur. Itaque e uersu octauo post *ἀποφαντικὸς* uerba „*ὁ ἓν δηλῶν*" uel „*ὁ ἓν καθ' ἑνὸς δηλῶν*" uel „*σημαίνων*" excidisse fortasse putaueris. Quibus restauratis hic prodibit sententiarum nexus: „Enuntiatio una uocatur primo ea, quae unam rem (ueram uel falsam) pronuntiat, i. e. affirmatio, deinde negatio; reliquae omnes unae uocantur sola ea de caussa, quod coniunctionibus in unum copulantur. Sed dubitauerit quispiam, num iam enuntiatio eiusmodi cuius „*ἔστι ζῷον πεζὸν δίπουν*" una uocanda sit, utpote quae unam rem pronuntiare non uideatur. Cuius dubitationis remouendae caussa uersus 13. *δι' ὅτι δὲ* — 15. *τοῦτο εἰπεῖν* adiecit. Sed quae ante hos uersus scripta continuationem sententiarum maxime dirumpunt u. 9. *ἀνάγκη δὲ* — 12.

οὔπω λόγος ἀποφαντικὸς quomodo uel Aristoteli exciderunt uel ab interpolatore excogitata irrepsere? Fortasse auctor eorum iam cogitans de difficultate, quam exposui (num ζῶον πεζὸν δίπουν sit ἕν), refellenda cum animaduertisset, eiusmodi definitiones saepe copula „ἔστι“ omissa proferri (ex. gr. si quis interrogatus, quae sit definitio hominis, respondet „ζῶον πεζὸν δίπουν“) eos uersus imposuit „ἀνάγκη δὲ etc.“ i. e. „enuntiatio sine uerbo formari non potest“; quare definitio hominis copula „ἔστι“ neglecta uerum uel falsum non significat, quippe quae enuntiatio nondum sit.

Iam uero lectione 17^a 8. „ἔστι δὲ εἷς πρῶτος λόγος ἀποφαντικὸς ὁ ἓν δηλῶν etc.“, quae nobis respicientibus uerba „οἱ δὲ ἄλλοι συνδέσμῳ εἷς“ sponte quodammodo obferebatur, probata cum sudantes dimidiam capitis partem explicauerimus, maxima impedimenta uiam obstruunt, ut progredi nequeamus. Qui secuntur uersus 17^a 15 sq. ἔστι δὲ εἷς λόγος ἀποφαντικὸς ἢ ὁ ἓν δηλῶν ἢ ὁ συνδέσμῳ εἷς idem eisdem fere uerbis exprimunt atque uersus 17^a 8 — 9. coniectura nostra refecti. Attamen ut omnes qui interpositi sunt uersus 17^a 9 — 15. suo in loco stent, eiusmodi repetitio, qua idem intra octo uersus bis garriat, a breui et concinno Aristotelis sermone plane abhorret. Accedit quod u. 17 —20. τὸ μὲν οὖν — προαιρούμενον iam antea eiectis detrimenta in hoc caput altius penetrauisse intelleximus. Denique u. 8. κατάφασις, εἶτα ἀπόφασις suscipionem mouent. Nam cum antea in hoc libro de enuntiatione conscripto non docuerit, affirmationem natura priorem esse negatione, exspectas fore ut id copiosius exponatur, quam solis tribus uerbis, quae quasi uncinis in-

clusa in aliam doctrinam inserta sunt: utpote quod cum totius libri consilio aptissimum sit, tum Anal. post. I, 25. 86^b 33. ἡ δὲ καταφατικὴ τῆς ἀποφατικῆς προτέρα καὶ γνωριμωτέρα· διὰ γὰρ τὴν κατάφασιν ἡ ἀπόφασις γνώριμος, καὶ προτέρα ἡ κατάφασις ὥσπερ καὶ τὸ εἶναι τοῦ μὴ εἶναι, et de cael. 286^b 25. τῆς στερήσεως πρότερον ἡ κατάφασις Aristotelicum esse demonstretur.

Itaque uersu 9. „οἱ δὲ ἄλλοι πάντες συνδέσμῳ εἷς“ deleto, quem nec seruatis nec emendatis uerbis praecedentibus stare posse demonstrauimus, reliquorum uerborum „ἔστι δὲ εἷς πρῶτος λόγος ἀποφαντικὸς κατάφασις, εἶτα ἀπόφασις“ interpretandorum duae sunt rationes.

Altera commodissima uersionis Syriacae ab Hoffmanno editore X. uocatae est uocem „εἷς“ omittentis „Nomen enuntiationis primo loco debetur affirmationi, deinde negationi“; quam certe sequeremur, si plus quam omnibus codicibus fidei interpreti Syro iure haberetur. Quem exitum facilem aegre praetereuntes alteram, quae iam sola patet, uiam ingrediamur, qua uocem „εἷς“ pro ἕτερος (= alter) positam esse putemus: „Altera autem enuntiatio prima est: affirmatio; deinde negatio“ uel „Ex duobus enuntiationum generibus (affirmationibus et negationibus) altera prima, natura prior est: dico affirmationem; altera, quae negatio uocatur, posterior“. Quae doctrina summae et praecipuae enuntiationum diuisionis aptissime in initio uniuersae quaestionis, quam instituturus est de enuntiationibus, collocari uidetur. Quodsi quaeritur, quo consilio interpolator uerba οἱ δὲ ἄλλοι συνδέσμῳ εἷς iniecerit, falsa interpretatione id factum esse arbitror, qua ductus uocem „εἷς“ eandem uim at-

que u. 15. et Poet. 20. 1457^a 28. *εἷς δ᾽ ἔστι λόγος διχῶς· ἢ γὰρ ὁ ἓν σημαίνων, ἢ ὁ ἐκ πλειόνων συνδέσμῳ* et Anal. post. II, 10. 93^b 35. *λόγος δ᾽ εἷς ἐστι διχῶς, ὁ μὲν συνδέσμῳ, ὁ δὲ τῷ ἓν καθ᾽ ἑνὸς δηλοῦν,* obtinere putabat. Qua sectione fortasse audaciori toti capiti non medemur. Restant enim uersus 17 — 20, quos ex eo, quem obtinent in codicibus et editionibus, loco certe esse remouendos iam supra demonstratum est. Quos cum eis, quae u. 9—15. leguntur „*ἀνάγκη δὲ* etc." arcte cohaerere ibidem intelleximus. Itaque ratione particularum „*μὲν*" in *τὸ μὲν οὖν ὄνομα ἢ ῥῆμα* et „*δὲ*" in *ἀνάγκη δὲ* habita illos ante hos uersus ponendos esse mihi persuasum est.

Iam totius capitis nouum et, opinor, planiorem habitum contemplemur:

Postquam enuntiationem secretam a ceteris orationibus se hoc libro tractaturum esse in fine capitis praecedentis indicauit (17^a 6. *ὁ δὲ ἀποφαντικὸς τῆς νῦν θεωρίας*), ipsam doctrinam incipit tradendo summam enuntiationum diuisionem addendoque, quae sint natura priores, quae posteriores (u. 8 — 9. *ἔστι δὲ εἷς — εἶτα ἀπόφασις*). Deinde cum capite quarto uim enuntiationum quasi internam indicauisset (17^a 2. *ἀποφαντικὸς δὲ οὐ πᾶς, ἀλλ᾽ ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει*), qua semper aliquid ueri uel falsi exprimerent, iam quae sit externa earum forma, exponit. Pergit enim u. 17—20: *τὸ μὲν οὖν ὄνομα ἢ ῥῆμα φάσις ἔστω μόνον, ἐπειδὴ οὐκ ἔστιν εἰπεῖν οὕτω δηλοῦντά τι τῇ φωνῇ ὥστε ἀποφαίνεσθαι, ἢ ἐρωτῶντός τινος ἢ μὴ ἀλλ᾽ αὐτὸν προαιρούμενον;* quos secuntur u. 10 — 15: *ἀνάγκη δὲ πάντα λόγον ἀποφαντικὸν ἐκ ῥήματος εἶναι ἢ πτώσεως*

ῥήματος· καὶ γὰρ ὁ τοῦ ἀνθρώπου λόγος, ἐὰν μὴ τὸ ἔστιν ἢ ἦν ἢ ἔσται ἤ τι τοιοῦτον προστεθῇ, οὔπω λόγος ἀποφαντικός· (*δι᾽ ὅτι δὲ ἕν τί ἐστιν ἀλλ᾽ οὐ πολλὰ τὸ ζῷον πεζὸν δίπουν — οὐ γὰρ δὴ τῷ σύνεγγυς εἰρῆσθαι εἷς ἔσται, ἔστι δὲ ἄλλης πραγματείας τοῦτο εἰπεῖν*) i. e. „Nomina uel uerba sola enuntiationem non formant, siue ad quaestionem propositam ea respondeas, siue sponte ea proferas. Enuntiatio autem uerbo carere nequit: quare definitio hominis, qua *ζῷον πεζὸν δίπουν* uocatur, enuntiatio non habenda est, nisi *ἔστι* adieceris. Quae secuntur *δι᾽ ὅτι δὲ* etc., uncinis inclusi: occasione oblata ea digna habuit, quae annotentur, cum et magni momenti ad doctrinam, quae sequitur de unis quas uocat enuntiationibus, recte intellegendam sint, et capite undecimo copiosius exponantur. — Pergit: u. 15 — 17: *ἔστι δὲ εἷς λόγος ἀποφαντικὸς ἢ ὁ ἓν δηλῶν ἢ ὁ συνδέσμῳ εἷς, πολλοὶ δὲ οἱ πολλὰ καὶ μὴ ἓν ἢ οἱ ἀσύνδετοι;* secuntur u. 20 — 24: *τούτων δὲ ἡ μὲν ἁπλῆ ἐστιν ἀπόφανσις, οἷόν τι κατά τινος ἢ τι ἀπό τινος, ἡ δὲ ἐκ τούτων ἤδη συγκειμένη οἷον λόγος τις ἤδη σύνθετος. ἔστι δὲ ἡ ἁπλῆ ἀπόφανσις φωνὴ σημαντικὴ περὶ τοῦ ὑπάρχειν τι ἢ μὴ ὑπάρχειν, ὡς οἱ χρόνοι διῄρηνται:* quos uersus iam supra a me satis explicatos esse censeo.

Genuina totius capitis forma restituta liceat nonnullas minoris momenti annotationes facere.

Primum quod u. 10. parum accurate „*ἐκ ῥήματος*" dixit pro „*ἐκ ῥήματος καὶ ὀνόματος*", quae uerba et ipsa res (nam enuntiatio ex nomine et uerbo constat), et ea, quibus opposita sunt „*τὸ μὲν οὖν ὄνομα ἢ ῥῆμα*" (u. 17.) flagitare uidentur, interpretationes scholiorum, ut plerumque, falsae et ineptae sunt. Nomen in enun-

tiatione inesse debere ita pro certo Aristoteles habuit, ut id expressis uerbis dici superuacaneum putaret. Omnis enim oratio (*λόγος*), cuius species est enuntiatio, sine nomine componi non potest. Duo uel plura nomina orationem formant, ut cap. II. 16ª 22. „*καλὸς ἵππος*“ uocat *λόγον* i. e. orationem et Poët. 20. 1457ª 24. aperte dicit: *οὐ γὰρ ἅπας λόγος ἐκ ῥήματος καὶ ὀνόματος σύγκειται, οἷον ὁ τοῦ ἀνθρώπου ὁρισμός, ἀλλ' ἐνδέχεται ἄνευ ῥημάτων εἶναι λόγον:* enuntiatio autem non fit, nisi uerbo addito. Quod cum in mentem nobis reuocare uoluerit, respiciens, opinor, illum Poëtices locum, in quo idem exemplum repetitum ex definitione hominis proponit, dicit: „nec nomen nec uerbum solum enuntiationem format: neque duo uel plura nomina coniuncta eam perficiunt, quamuis ad orationem componendam sufficiant (ex. gr. *ζῷον πεζὸν δίπουν* est *λόγος*): uerbum adsumant. Omnis enim enuntiatio ex uerbo i. e. non sine uerbo est“.

CAPUT VI.

Postquam ceteris orationibus remissis enuntiatio sola proposita est ad pertractandum (cap. 4), iam capite V. notione diuisa ea prodit enuntiationis species, de qua sola capitibus sequentibus agitur. Est enuntiatio *κατ' ἐξοχήν*, quae unum factum nobis tradit (17ª 16. *ὁ ἓν δηλῶν*) et simplex uocatur (ª20. *ἁπλῆ*).

Argumentum cap. 6: „Enuntiationis simplicis, ut omnium enuntiationum, duo genera sunt: affirmatio, quae duas notiones coniungit; negatio, quae seiungit. Quae duae notiones coniunctae et seiunctae si eaedem sunt, affirmatio et negatio contradictionem formant“.

CAPUT VII.

Argumentum: Quae et unde sit oppositio contradictoria uel contradictio, quamuis capite sexto in uniuersum exposuerit, tamen et ipsius naturam altius inuestigare et oppositionem contrariam, quomodo differat a contradictoria, tradere instituit. Pergit igitur: „Duo sunt rerum (uel notionum) genera; alterum continet eas, quae uocantur *καθόλου*, alterum, quae *καθ' ἕκαστον*, i. e. uniuersales et singulares. Quae cum utraeque subiectorum munere fungi possint, duo genera enuntiationum denotant (—ᵇ3. *ὅτὲ δὲ τῶν καθ' ἕκαστον*). Sed non tantum subiectorum, uerum etiam praedicatorum uarius usus uariaque potentia est: latius patens, qua aliquid de toto ambitu alicuius, artior qua non de toto enuntietur (*καθόλου — μὴ καθόλου*). Quodsi quid de subiecto primi generis (i. e. notione uniuersali) toto (*καθόλου*) secundum duas enuntiandi formas, affirmandi et negandi dico, enuntiatur, contrariae enuntiationes progrediuntur, ex. gr.

ἔστι πᾶς ἄνθρωπος λευκός   *ἔστιν οὐδεὶς ἄνθρ. λευκ.*

Sin autem de eiusdem generis subiecto (notione uniuersali) non toto (*μὴ καθόλου*) quid affirmatur et negatur, enuntiationes fiunt non contrariae (*οὐκ ἐναντίαι*), ex. gr.

ἔστι λευκὸς ἄνθρωπος   *οὐκ ἔστι λευκὸς ἄνθρωπος*
(—17ᵇ 16).

Iam uero ex utraque parte oppositionis contrariae noua oppositio nascitur, quae uocatur contradictoria:

ἔστι πᾶς ἄνθρωπος λευκός   *οὐκ ἔστι πᾶς ἄνθρ. λευκός*
ἔστιν οὐδεὶς ἄνθρ. λευκός   *ἔστι τις ἄνθρωπος λευκός.*

Itaque notionibus uniuersalibus subiectis quattuor oppo-

sitiones effici intelleximus; unam contrariam: *πᾶς — οὐδείς,* tres contradictorias

1. *ἔστι πᾶς ἄνθρ. λευκ. οὐκ ἔστι πᾶς ἄ. λ.*
2. *ἔστι τις ἄ. λ. ἔστιν οὐδεὶς ἄ. λ.*
3. *ἔστιν ἄ. λ. οὐκ ἔστιν ἄ. λ.*

Ad quas tres accedit quarta contradictoria, quae subiecto alterius generis i. e. notione singulari utitur; ex. gr.

4. *ἔστι Σωκράτης λευκός οὐκ ἔστι Σ. λ.*

Sed natura oppositionum contradictoriarum non est eadem: tres affirmatione et negatione, quarum semper altera uera altera falsa est, quarta, dico eam, qua de notione uniuersali non tota (*μὴ καθόλου*) aliquid enuntiatur, simul ueris uel simul falsis formantur (—17^b 37)".

Tantum capitis septimi partem uno tenore permensi, nos secundo flatu usque ad finem peruenturos esse sperabamus. Sed fortuna aduersa prope portum in scopulis haerere nauem iussit. Pergitur enim 17^b 38: „Apparet in omnibus enuntiationum modis unius affirmationis unam esse negationem: eadem enim in utraque et subiecta et praedicata sunt (— 18^a 1). In quibus uaria sint, eas oppositionem contradictoriam formare nequire (18^a 3—4). Deinde quattuor, quas supra exposuit, contradictionum singula exempla proponit (18^a 2. 4—7). Denique se exposuisse dicit 1. unam negationem uni affirmationi contradictorie oppositam esse, 2. quae enuntiationes contrarie oppositae sint, 3. quae contradictiones alteram ueram, alteram falsam enuntiationem contineant, quae non (18^a 8—12)".

Primum quidem uersus 18^a 3—4. „*ἐὰν δὲ ἄλλο τι ἢ ἀπ' ἄλλου τὸ αὐτό, οὐχ ἡ ἀντικειμένη, ἀλλ' ἔσται ἐκείνης ἑτέρα*" num iure hunc locum obtineant, uehe-

menter dubito. Nam cum respondeant eis, quae sunt 17^b 39—40. *τὸ γὰρ αὐτὸ δεῖ ἀποφῆσαι — ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ,* alia uerba sc. 18^a 2. *λέγω δὲ οἷον ἔστι Σωκράτης λευκός, οὐκ ἔστι Σωκράτης λευκός* neglegenter interiecta esse uidentur. Haec enim est sententia: „Una negatio unius affirmationis est (*φανερὸν δὲ καὶ ὅτι μία ἀπόφασις μιᾶς καταφάσεως*): subiecta enim et praedicata eadem in utraque esse debent (*τὸ γὰρ αὐτό — ὡς μὴ καθόλου*). Sin eadem non sunt, oppositio contradictoria non efficitur (*ἐὰν δὲ ἄλλο*)". Sed non solum huius sententiae pars extrema a ceteris separata est uersu *λέγω δὲ* etc. interposito, sed ipsa quoque in eo loco, in quo nunc inuenitur, alium seriem sententiarum interrumpit. Nam exemplorum, quae ad illustrandam rationem contradictionum rectarum, i. e. earum, quae eisdem subiectis et praedicatis utantur, affert, primum a reliquis miro modo seiungitur uerbis *ἐὰν δὲ ἄλλο* (u. 3.) — *ἐκείνης ἑτέρα* (u. 4.), quae neque ad primum illud praecedens neque ad tria sequentia exempla ullo modo referuntur, sed uerbis *τὸ γὰρ αὐτὸ δεῖ ἀποφῆσαι,* quorum illustrationes quattuor exempla sunt omnia, opposita sunt.

Itaque uerba illa *ἐὰν δὲ ἄλλο — ἑτέρα* e loco suo remouenda et uel statim post 18^a 1. *μὴ καθόλου* ante 18^a 2. *λέγω δέ,* uel u. 7. post omnia exempla ante *ὅτι μὲν οὖν* (u. 8.) collocanda esse censeo. Quodsi in priore loco ea reponas, haec est sententia: „Subiecta et praedicata eadem esse debent, cuius exempla sunt haec: secuntur exempla. Sin eadem non sunt, enuntiationes contradictorie oppositae non sunt"; si in posteriore, haec: „Subiecta et praedicata eadem esse debent. Sin eadem non sunt, enuntiationes contradictorie oppositae non sunt.

Exempla sc. rectarum contradictionum haec sunt: secuntur exempla". Sed haec mittamus: parui enim sunt momenti.

Ceterum qui utramque dispositionem respuit, uersus 18^a 4. *τῇ δὲ πᾶς* —7. *ἄνθρωπος λευκός* deleat.

Iam qui secuntur uersus 18^a 8. *ὅτι μὲν οὖν* —^{a}12. *ἢ ψευδής* ea quae antea tractata sunt breuiter repetere et enumerare uidentur. Qui quidem uolgaris Aristotelis usus est cuius exempla nonnulla afferre mihi liceat. An. pr. I, 7. 29^b 26—28. *„οἱ μὲν οὖν τῶν συλλογισμῶν ὑπάρχειν ἢ μὴ ὑπάρχειν δεικνύντες εἴρηνται πῶς ἔχουσι, καὶ καθ᾽ αὑτοὺς οἱ ἐκ τοῦ αὐτοῦ σχήματος καὶ πρὸς ἀλλήλους οἱ ἐκ τῶν ἑτέρων σχημάτων"* quattuor capitum (4—7.) argumentum repetit; An. pr. I, 12. 32^a 15—16. *„περὶ μὲν οὖν τοῦ ἀναγκαίου πῶς γίνεται καὶ τίνα διαφορὰν ἔχει πρὸς τὸ ὑπάρχον, εἴρηται σχεδὸν ἱκανῶς"* quinque capitum (8—12.); An. pr. I, 26. 43^a 16—19. omnia quae praecedunt capita uiginti sex breuiter attinguntur. Quid iuuat coaceruare exempla rei notissimae? Qua ratione significandi finis expositionis Aristoteles non usus est, nisi re uera expositio cuius argumentum paucis uerbis nobis in mentem reuocat perfecta atque absoluta erat: neque lectores mente tam debili praeditos esse existimauit, ut memoriae adiuuandae gratia iam post unum caput id inepte faceret, quod post longiorem expositionem aptissimum esset.

Utrumque uero opprobrium in nostrum locum cadit. Primum unius capitis VII., quod difficultatibus non obstructum est, argumentum 18^a 8—12. accuratissime retractauisse uidetur. Deinde tantum abest, ut postea aliquid noui tractetur, ut eaedem res, quas capite VII.

εἰρῆσθαι modo dixit, capitibus sequentibus accuratius explicentur. Nam capitibus VIII. et XI. de una negatione unius affirmationis, quam doctrinam iam absolutam esse u. 18^a 8. *„ὅτι μὲν οὖν μιᾷ καταφάσει μία ἀπόφασις ἀντίκειται ἀντιφατικῶς, καὶ τίνες εἰσὶν αὗται, εἴρηται"* affirmat, agitur: caput IX. autem nouo contradictionis genere allato iterum demonstrat, non omnes enuntiationes contradictorie oppositas semper ueras uel falsas esse.

Quibus caussis permotus cum dubitarem, num suo in loco hi uersus starent (sc. 18^a 8—12.), alia res quasi externa suspicionem, quae esse aliquid praui in ordine, qui traditus est, capitum me admonebat ad aurem, auxit. Quattuor contradictiones capite VII. constitutae earumque exempla data sunt (—17^b 37). Quo facto eadem exempla in eodem capite iterum enumerantur 18^a 2—7. Neque id satis habebat Aristoteles! Nam post quinque uersus tertium repetuntur 14—17. Quin exemplis omissis enuntiationum genera post decem uersus quartum commemorat ineunte capite nono 18^a 29 sqq. *„καὶ ἐπὶ μὲν τῶν καθόλου ὡς καθόλου . . . καὶ ἐπὶ τῶν καθ᾽ ἕκαστα . . . ἐπὶ δὲ τῶν καθόλου μὴ καθόλου* . . . Quid? Nonne loquacitas ineptissima est? Desinat Aristoteles gloriari de breuiloquentia.

Haec sunt, quae ordinem turbatum indicare uidentur. Sed qui fuerit, antequam capita sequentia pertractauerim, iudicare non quibo.

CAPUT VIII.

Argumentum: „Contradictionem e duabus enuntiationibus, una affirmatione et una negatione, altera uera altera falsa, componi intelleximus (18^a 13—17). Sed

quae iam cap. VI. 17^{a} 35. cauere nos iussit homonyma (λέγω δὲ ἀντικεῖσθαι τὴν τοῦ αὐτοῦ κατὰ τοῦ αὐτοῦ, μὴ ὁμωνύμως δέ), cum subiecta sint, plures enuntiationes efficiunt, quamuis unius speciem prae se ferant. Quare legis antea latae exceptio statuenda est in contradictionibus, quae ex eiusmodi enuntiationibus formantur. Cum plus duabus enuntiationibus complectantur, utpote in quibus neque affirmatio neque negatio sit una, alteram ueram alteram falsam esse dicere esset absurdum".

CAPUT IX.

„Eiusdem legis altera exceptio in enuntiationibus, quae sunt de rebus futuris (ἐπὶ τῶν μελλόντων) i. e. factum aliquod futurum declarant, inuenitur (18^{a} 28—33)".

.Aristoteles in eis quae secuntur more suo dialectico omnes difficultates, quae sententiam suae contrariam iuuare uidentur, in unum cogit: quibus resolutis rectam sententiam proponit. Dicit: „ Si omnis enuntiatio aut uera aut falsa est, necesse est quidquid enuntietur aut esse aut non esse. Iam enuntiatio fit de aliquo facto futuro. Sequitur, ut id factum futurum sit, si enuntiatio uera; non sit, si falsa fuit. Quibus cognitis cum quaecunque fient necessaria futura sint, casus omnino tollitur (—18^{b} 9).

Cuius demonstrationis firmandae caussa addit, alia quoque ratione intellegi enuntiationem, quae de aliquo futuro sit, re uera aut ueram aut falsam esse: nam ut uerae certe enuntiationes fuere, quae quaecunque nunc sunt futura esse antea declarauerant; ita quae nunc aliquid futurum esse contendunt, quo tempore id est uerae semper fuisse intellegentur (—18^{b} 16. οὐκ ἐξ ἀνάγκης).

Dixeris fortasse neque affirmantem neque negantem enuntiationem ueram esse. At primum sequeretur, ut negatio non uera affirmationi falsae opponeretur: id quod legem de contradictionibus latam, qua altera eius pars uera, altera falsa est, abrogat (—20). Tum hanc enuntiationem ueram esse concedas oportet: „„aliquid nec futurum esse nec non futurum esse"". Quocirca tempore, quod iudicasti, id factum neque est neque non est. Id quod absurdum est (18^{b} 26).

Itaque cum prohibere non possimus, quin factum aliquod futurum esse alter neget alter affirmet: alter autem uerum certe enuntiet; factum illud, si affirmatio uera fuit, necessario fiet, si negatio, necessario non fiet. Possunt igitur omnia necessario fieri (—18^{b} 36. ἀληθὲς ἦν εἰπεῖν τόδε).

Neque possunt tantummodo. Nam affirmante et negante illis non opus est: neue ea tantum, quae illi enuntiauerint, postea necessario factum iri putaueris. Necessitas omnium rerum non efficitur ueritate aeterna alterius partis contradictionis, sed ex ea cognoscitur. Quae ueritas cum ratio sufficiens cognoscendae, non faciendae necessitatis sit, nobis tantum prior, re uera posterior est. Falsum est dicere, posse omnes res necessario fieri, quia omnes antea uere enuntiari possint: immo quia omnes necessario fiunt, uere enuntiari antea poterant (—19^{a} 6).

Iam uero cum multae res diram illam necessitatem refutent, legis contradictionum exceptio altera, qua altera eius pars ueritate alteram non superet, in eis statuenda est (—19^{a} 22).

Quae res cum neque sint semper neque non sint,

necessario quidem uel sunt uel non sunt, sed neque sunt necessario neque non sunt necessario. Quodsi de eis antequam sint enuntiationem facimus, uera est haec:

„res necessario { uel erit / uel non erit“, } falsae: „res necessario erit“ et „res necessario non erit“ (— finem capitis).

Argumento exposito restat, ut de lectione nonnullorum locorum uerba faciam.

19^a 1—6. *ὥστε εἰ ἐν ἅπαντι — εἰπεῖν ἀεὶ ὅτι ἔσται* i. e. „ex quo efficitur: si semper affirmatio uel negatio uera erat, necesse est, id quod uera enuntiabat fieri; et omnia quae fiunt semper necessario fiunt“. Quam sententiam interpretari nequeo. Nam demonstraturus, non solum eas de quibus antea enuntiationes factae sint, sed omnes res necessarias esse, dicit 18^b 26 sq. (*ἀλλὰ μὴν* etc.) „nil interesse, num contradictio (*ἀντίφασις*) re uera pronuntiata sit, cum ueritas aeterna alterius partis eius caussa, qua necessitas illa efficiatur, non sit (—19^a 1. *χρόνῳ*). Iam sequitur sententia *ὥστε εἰ* etc., in qua et „*ἀναγκαῖον ἦν*“ et „*ἕκαστον οὕτως εἶχεν*“ a coniunctione „*ὥστε*“ pendent.

Sed, quaeso, res de quibus aliquis enuntiauerit necessario fieri (*ἀναγκαῖον ἦν τοῦτο γενέσθαι*), quid iuuat ad id quod proposuit? et quomodo ex antecedentibus concluditur? quo iure uoce *ὥστε*, quae conclusionem indicat, cum eis coniungitur? Nullo, opinor. Immo consilium totius loci alteram conclusionis partem „*ὥστε … ἕκαστον τῶν γενομένων ἀεὶ οὕτως εἶχεν, ὥστε ἐξ ἀνάγκης γενέσθαι*“ spectat. Nam omnes res (*ἕκαστον*), non solum eas, quae antea enuntiatae sint, necessario fieri, demonstraturus est.

Itaque una littera mutata orationem concinnam restituere conatus sum: „*ὥστε, εἰ ἐν ἅπαντι χρόνῳ οὕτως εἶχεν ὥστε τῷ* (pro *τὸ*) *ἕτερον ἀληθεύεσθαι ἀναγκαῖον ἦν τοῦτο γενέσθαι, καὶ ἕκαστον τῶν γενομένων ἀεὶ οὕτως εἶχεν ὥστε ἐξ ἀνάγκης γενέσθαι*“. I. e. Ex quo efficitur: si semper (ab initio temporis) ex eo, quod altera enuntiatio (siue affirmatio siue negatio) uera fuit, necessitas eius rei quam illa edixerat concludi potest, — necessario omnes res fiunt“. Uel „Leges, quae altera necessitatem omnium rerum, altera ueritatem alterius partis cuiusque contradictionis praescribunt, tantam habent uicissitudinem, ut quasi eaedem sint. Altera ex altera pendet. Cum alteram probaueris, alteram negare non potes. Neque affirmatione et negatione re uera pronuntiatis opus est: nam lex qua altera enuntiatio uera est ante ipsam pronuntiationem fuit. Quam legem, non pronuntiationem illam necessitas rerum sequitur. Itaque (*ὥστε* 19^a 1.) si ueritatem affirmationis uel negationis, siue pronuntiatae sunt siue non sunt, semper et sine ulla exceptione necessitas eius rei, de qua sint, sequitur, i. e. si ueritas enuntiationis et necessitas rei aeterna lege quae exceptionem non admittat coniunctae sunt, — omnes res necessariae sunt. Nam omnes affirmari et negari possunt: num re uera affirmatae et negatae sint, nullius est momenti. —

CAPUT X.

Postquam capite VII. quae enuntiationes contrarie, quae contradictorie oppositae essent docuit; quattuor contradictionum genera quantitate quam dicunt logici diuersa distinxit: uniuersale particulare infinitum sin-

gulare; capite X. uariis formis enuntiationum simplicium perlustratis quae contradictiones ratione loci quem particula οὐ obtineat potissimum habita ex uno uel duobus nominibus et uno uerbo oriantur, quique sit ordo quo alia aliam sequatur (ἀκολουθεῖν) tradit.

Argumentum: „Omnes, inquit, enuntiationes ex nominibus uel nominibus infinitis et uerbis compositae sunt (19ᵇ 5—14). Simplicissimae igitur et primae affirmatio et negatio eae habendae sunt, in quibus uerbum κατ' ἐξοχήν quod nil nisi tempus significat, uerbum „esse" dico, ad nomen (ex. gr. ἄνθρωπος) uel nomen infinitum (οὐκ - ἄνθρωπος) additur. Utrobique fit una contradictio:

Subiecto nomine ex. gr.
„est homo" „non est homo";
subiecto nomine infinito:
„est non homo" „non est non homo";
eaedem, si de uniuerso nomine enuntiatur:
„sunt omnes homines" „non sunt o. h."
„sunt omnes non homines" „non sunt o. n. h."
(— 19ᵇ 19. ὁ αὐτὸς λόγος).

Altera forma earum enuntiationum, quae duas notiones tempore aliquo (uel praesenti uel praeterito uel futuro) coniunctas uel segregatas esse exprimunt: siue tribus uocibus sc. duobus nominibus et uerbo „εἶναι", siue duobus sc. uno nomine et alio uerbo quod praeter tempus nominis alicuius uim significat, compositae sunt; ex. gr. ἄνθρωπος ὑγιαίνει = ἄνθρωπος ὑγιαίνων ἐστὶ est.

Primus eius formae species, qua ad nomen aliquod (ut ἄνθρωπος) alterum nomen uel nomen infinitum δίκαιος uel οὐδίκαιος) et uerbum εἶναι adiciuntur, duas

contradictiones efficit (19ᵇ 20. ἤδη διχῶς λέγονται αἱ ἀντιθέσεις) u. gr.

ἔστιν ἄνθρωπος δίκαιος οὐκ ἔστιν ἄ. δ.
ἔστιν ἄνθρωπος οὐ-δίκαιος οὐκ ἔ. ἄ. οὐ-δ.

Iam cum enuntiatione uniuersali facta (πᾶς ἄνθρωπος etc.) eaedem formentur, in uniuersum quattuor contradictiones, quae uocibus „ἄνθρωπος" et „δίκαιος" et „εἶναι" nituntur, pro duabus quae in prima forma erant („ἔστιν ἄνθρ." et „ἔ. πᾶς ἄ." 19ᵇ 15—17.), habemus (ὥστε διὰ τοῦτο τέτταρα ἔσται ταῦτα u. 22). Sunt haec:

1. ἔστι δίκαιος ἄνθρωπος οὐκ ἔ. δ. ἄ.
2. ἔστιν οὐ-δίκ. ἄνθρ. οὐκ ἔ. οὐ-δ. ἄ.
3. πᾶς ἐστι δίκ. ἄνθρ. οὐ πᾶς ἐ. δ. ἄ.
4. πᾶς ἐστιν οὐ-δίκ. ἄνθρ. οὐ πᾶς ἐ. οὐ-δ. ἄνθρ.

Ordinem, quo altera alteram consequatur, prima et secunda (1. et 2.) eundem habent atque contradictiones, quae altera nomine aliquo, altera priuatione eius utuntur (23. ὧν τὰ μὲν δύο sc. 1. et 2. πρὸς τὴν κατάφασιν καὶ ἀπόφασιν ἕξει κατὰ τὸ στοιχοῦν ὡς αἱ στερήσεις): ut in Analyticis sc. prioribus I, 46 traditum est (ταῦτα μὲν οὖν, ὥσπερ ἐν τοῖς Ἀναλυτικοῖς λέγεται, οὕτω τέτακται u. 31).

Reliquae duae (sc. 3. et 4.) alia ratione consequendi utuntur (τὰ δὲ δύο οὐ u. 24.) (— 19ᵇ 36. δὲ ποτέ).

Eaedem contradictiones quattuor nomine infinito subiecto fiunt; neque ullo modo ratio earum ab eis, quas modo tractauimus, differt (— 20ᵃ 3. χρώμεναι).

Altera species, qua nomen uel nomen infinitum cum uerbo, quale supra descripsi, coniungitur, unam tantum cuiusque quantitatis contradictionem amplectitur. Nam cum ratio particulae „οὐ" collocandae eadem atque in

gulare; capite X. uariis formis enuntiationum simplicium perlustratis quae contradictiones ratione loci quem particula *οὐ* obtineat potissimum habita ex uno uel duobus nominibus et uno uerbo oriantur, quique sit ordo quo alia aliam sequatur (*ἀκολουθεῖν*) tradit.

Argumentum: „Omnes, inquit, enuntiationes ex nominibus uel nominibus infinitis et uerbis compositae sunt (19ᵇ 5—14). Simplicissimae igitur et primae affirmatio et negatio eae habendae sunt, in quibus uerbum *κατ᾽ ἐξοχήν* quod nil nisi tempus significat, uerbum „esse" dico, ad nomen (ex. gr. *ἄνθρωπος*) uel nomen infinitum (*οὐκ - ἄνθρωπος*) additur. Utrobique fit una contradictio:

Subiecto nomine ex. gr.
„est homo" „non est homo";
subiecto nomine infinito:
„est non homo" „non est non homo";
eaedem, si de uniuerso nomine enuntiatur:
„sunt omnes homines" „non sunt o. h."
„sunt omnes non homines" „non sunt o. n. h."
(— 19ᵇ 19. *ὁ αὐτὸς λόγος*).

Altera forma earum enuntiationum, quae duas notiones tempore aliquo (uel praesenti uel praeterito uel futuro) coniunctas uel segregatas esse exprimunt: siue tribus uocibus sc. duobus nominibus et uerbo „*εἶναι*", siue duobus sc. uno nomine et alio uerbo quod praeter tempus nominis alicuius uim significat, compositae sunt; ex. gr. *ἄνθρωπος ὑγιαίνει* = *ἄνθρωπος ὑγιαίνων ἐστὶ* est.

Primus eius formae species, qua ad nomen aliquod (ut *ἄνθρωπος*) alterum nomen uel nomen infinitum *δίκαιος* uel *οὐδίκαιος*) et uerbum *εἶναι* adiciuntur, duas

contradictiones efficit (19ᵇ 20. *ἤδη διχῶς λέγονται αἱ ἀντιθέσεις*) u. gr.

ἔστιν ἄνθρωπος δίκαιος *οὐκ ἔστιν ἄ. δ.*
ἔστιν ἄνθρωπος οὐ-δίκαιος *οὐκ ἔ. ἄ. οὐ-δ.*

Iam cum enuntiatione uniuersali facta (*πᾶς ἄνθρωπος* etc.) eaedem formentur, in uniuersum quattuor contradictiones, quae uocibus „*ἄνθρωπος*" et „*δίκαιος*" et „*εἶναι*" nituntur, pro duabus quae in prima forma erant („*ἔστιν ἄνθρ.*" et „*ἔ. πᾶς ἄ.*" 19ᵇ 15— 17.), habemus (*ὥστε διὰ τοῦτο τέτταρα ἔσται ταῦτα* u. 22). Sunt haec:

1. *ἔστι δίκαιος ἄνθρωπος* *οὐκ ἔ. δ. ἄ.*
2. *ἔστιν οὐ-δίκ. ἄνθρ.* *οὐκ ἔ. οὐ-δ. ἄ.*
3. *πᾶς ἐστι δίκ. ἄνθρ.* *οὐ πᾶς ἐ. δ. ἄ.*
4. *πᾶς ἐστιν οὐ-δίκ. ἄνθρ.* *οὐ πᾶς ἐ. οὐ-δ. ἄνθρ.*

Ordinem, quo altera alteram consequatur, prima et secunda (1. et 2.) eundem habent atque contradictiones, quae altera nomine aliquo, altera priuatione eius utuntur (23. *ὧν τὰ μὲν δύο* sc. 1. et 2. *πρὸς τὴν κατάφασιν καὶ ἀπόφασιν ἕξει κατὰ τὸ στοιχοῦν ὡς αἱ στερήσεις*): ut in Analyticis sc. prioribus I, 46 traditum est (*ταῦτα μὲν οὖν, ὥσπερ ἐν τοῖς Ἀναλυτικοῖς λέγεται, οὕτω τέτακται* u. 31).

Reliquae duae (sc. 3. et 4.) alia ratione consequendi utuntur (*τὰ δὲ δύο οὐ* u. 24.) (— 19ᵇ 36. *δὲ ποτέ*).

Eaedem contradictiones quattuor nomine infinito subiecto fiunt; neque ullo modo ratio earum ab eis, quas modo tractauimus, differt (— 20ᵃ 3. *χρώμεναι*).

Altera species, qua nomen uel nomen infinitum cum uerbo, quale supra descripsi, coniungitur, unam tantum cuiusque quantitatis contradictionem amplectitur. Nam cum ratio particulae „*οὐ*" collocandae eadem atque in

prima enuntiationum forma (cfr. 19^{b} 15—17) sit, totidem prodeunt: u. c.

ὑγιαίνει ἄνθρωπος οὐχ ὑγ. ἄν.

ὑγιαίνει πᾶς ἄν. οὐχ ὑγ. πᾶς ἄν. (—20^{a} 15). — Variis formis enuntiationum uniuersalium et infinitarum tractatis enuntiationes, quas dicimus particulares (ut „ἔστι τις ἄνθρωπος δίκαιος“ eiusque negatio „ἔ. οὐδεὶς ἄν. δίκ.“) et singulares (ut „ἔστι Σωκράτης λευκός“ et „οὐκ ἔστι Σωκράτης λευκός“) paucis tantum attingit.

Primum exponit quomodo contradictio particularis „τὶς οὐδείς“ cum uniuersali „πᾶς οὐ πᾶς“ (20^{a} 16. ἐπεὶ δὲ — ^{a}20. ζῷον δίκαιον), deinde quomodo cum „πᾶς ἄνθρ. οὐ δίκαιος etc.“ cohaereat (—^{a}25. τινά). Deinde qua ratione enuntiationes singulares differant a ceteris illustratur: in quibus solis negationis particula (οὐ) siue uerbo siue nomini, quod praedicati munere fungitur, adiecta idem significat; ex. gr. „οὐκ ἔστι Σωκράτης σοφός“ et „ἔστι Σωκράτης οὐ σοφός“ (—20^{a} 30). —

Qui secuntur uersus ^{a}30. αἱ δὲ κατὰ τὰ ἀόριστα — 40. ταὐτὸν σημαίνει quasi corollarium uel adnotatio additi uidentur. Nam consilio, quod capiti decimo praescripserat, absoluto nonnullas res difficiliores quae magni momenti ad doctrinam recte intellegendam sunt denuo et accuratius explicat. Monet ne nomina infinita (ut οὐκ-ἄνθρωπος) sola enuntiationes formare putemus: quo facto quintum genus enuntiationum statui necesse esset u. c. „ἄνθρωπος οὐκ ἄνθρωπος“ (— ^{a} 36. ἐὰν μή τι προςτεθῇ). Nam enuntiationes non fiunt, nisi uerba cum nominibus illis infinitis coniunguntur. Quae enuntiationes cum eis quae nomine „ἄνθρωπος“ subiecto utuntur nullo modo cohaerent (— 38. ἔστι πᾶς οὐκ

ἄνθρωπος δίκαιος): id quod iam supra dixerat): 20^{a} 2. „αὗται δὲ χωρὶς ἐκείνων αὐταὶ καθ’ ἑαυτὰς ἔσονται“. —

19^{b} 20. ἤδη διχῶς λέγονται αἱ ἀντιθέσεις .... ὥστε διὰ τοῦτο τέτταρα ἔσται ταῦτα, ὧν τὰ μὲν δύο πρὸς τὴν κατάφασιν καὶ ἀπόφασιν ἕξει κατὰ τὸ στοιχοῦν ὡς αἱ στερήσεις, τὰ δὲ δύο οὔ. Locus est difficillimus, ab interpretibus et ueteribus (cfr. Ammon. schol. ad 19^{b} 23.) et recentioribus mirum quantum uexatus. — Ammonius duas interpretationes affert ex quibus alteram, qua ^{b}23. „κατάφασιν καὶ ἀπόφασιν“ significet „καταφατικὸν καὶ ἀποφατικὸν εἶδος“ ipse reicit: altera cum Waitzio congruere uidetur, qeum uideamus.

Waitz collato loco ab Aristotele ^{b}31. (ὥσπερ ἐν τοῖς Ἀναλυτικοῖς λέγεται) laudato sc. Anal. pr. I. 46. 51^{b} 33—52^{a} 17. hoc modo interpretari uidetur — nam quae ipse expressis uerbis non dixit, ex eius sententia suppleo —: „Si enuntiatio praeter ἔστι duo nomina habet (ὅταν τὸ ἔστι τρίτον προςκατηγορῆται), iam duae contradictiones fiunt (ἤδη διχῶς λέγονται αἱ ἀντιθέσεις), sc.:

1. ἔστι δίκαιος ἄνθρωπος οὐκ ἔ. δ. ἄ.
2. ἔστιν οὐ-δίκ. ἄνθρ. οὐκ ἔ. οὐ-δίκ. ἄνθρ.

Sequitur, ut haec, sc. quae statim afferam, futura sint quattuor (ὥστε διὰ τοῦτο, sc. διὰ τὸ διχῶς λέγεσθαι τὰς ἀντιθέσεις, τέτταρα ἔσται ταῦτα

A. ἔστι δίκαιος ἄνθρ. *B.* οὐκ ἔ. δίκ. ἄνθρ.

Γ. ἔστιν οὐ-δίκ. ἄν. *Δ.* οὐκ ἔ. οὐ-δίκ. ἄνθρ.,

e quibus duo, sc. *Γ* et *Δ*, affirmationem i. e. *A* et negationem i. e. *B* eodem ordine secuntur, quo enuntiationes quae adiectiua „ἀ“ priuatiuis formata (u. c. ἄδικος) habent, sc.

γ) ἔστιν ἄδικος ἄνθρωπος, δ) οὐκ ἔ ἄδ. ἄνθρ.,

affirmationem et negationem illas *A* et *B* secuntur (*ὧν τὰ μὲν δύο — ὡς αἱ στερήσεις*).

Recte. Nam *γ* et *δ* ad *A* et *B* eadem ratione referuntur, qua *Γ* et *Δ*.

Sed „*τὰ δὲ δύο οὔ*“ sc. „*οὐχ ἕξει πρὸς τὴν κατάφασιν ἢ ἀπόφασιν ὡς αἱ στερήσεις*“ quid sibi uolunt? Waitz, cui Prantlium (Gesch. d. Logik I, 151 anm.) adstipulari miror, uerbis „*τὰ δὲ δύο*“ intellegens *A* et *B* explicat pag. 344 extr. „nam *A* et *B* non eandem rationem habent ad *Δ* et *Γ*, quam habent *δ* et *γ* ad *Δ* et *Γ*. Quae interpretatio ferri nequit. Nam quae supplentur „*πρὸς τὴν κατάφασιν καὶ ἀόπφασιν*“, eandem uim habeant necesse est, quam supra (u. 23.) unde supplentur habebant: Waitzius autem ibi interpretatur *A* et *B*, hic *Δ* et *Γ*. Deinde *δ* et *γ* *στερήσεις* uocari non possunt respicientibus *Γ* et *Δ*: nam „*ἔστιν ἄδικος ἄνθρ.*“ (*γ*) recte *στέρησις* enuntiationis „*ἔστι δίκ. ἄν.*“ (*A*), non recte enuntiationis „*ἔστιν οὐ-δ. ἄν.*“ (*Γ*) uocatur.

Sed ut recta sit Waitzii interpretatio: quid dicit Aristoteles? „Sunt quattuor: *A. B. Γ. Δ.* Duo extrema *Γ* et *Δ* certa ratione ad *A* et *B* referuntur; *A* et *B* non eadem ad *Γ* et *Δ*.“ Mira sapientia. Nam si eadem non sunt, quomodo eadem ratione altera ad altera referri possunt?

Sed ut sit haec Aristotelis sententia: nonne dicere debebat „*ὧν τὰ μὲν δύο πρὸς τὰ ἄλλα δύο* etc.“? si re uera „*κατάφασις* et *ἀπόφασις*“ illae sunt altera duo, quae una cum eis quae uocat „*τὰ μὲν δύο*“ quattuor (*τέτταρα*) illa efficiunt.

Quibus difficultatibus cognitis aliam totius loci interpretandi uiam ingressus sum, initium a uoce *τέτταρα*

faciens. Quae uox de contradictionibus, non de enuntiationibus solis, id quod Waitzius uult, intellegenda esse mihi uidetur. Itaque explices: „In prima enuntiationum forma unam tantummodo cuiusque quantitatis contradictionem oriri, ex. gr. [b]15. „*ἔστιν ἄνθρ. οὐκ ἔ. ἄνθρ.*“ supra uidimus. Contra duobus nominibus (substantiuo et adiectiuo) et uerbo „*ἔστι*“ compositis contradictiones duplici ratione fiunt: utraeque substantiuo, sed alterae praeterea adiectiuo mero (*δίκαιος*), alterae coniuncto cum „*οὐ*“ i. e. infinito (*οὐ-δίκαιος*) usae. Ex. gr.:

1. *ἔστι δίκαιος ἄνθρωπος οὐκ* etc.
2. *ἔστιν οὐ-δίκ. ἄνθρ. οὐκ* etc. ([b]19. *ὅτιν* — 20. *αἱ ἀντιθέσεις*). —

Pergitur: „Quodsi easdem, quas supra (u. 15—19.), quantitates respicimus sc. infinitam et uniuersalem, duplici illa ratione hae (i. e. quas statim dicam) quattuor contradictiones nascuntur: ex quibus duae sc. infinitae, siue affirmationem siue negationem spectas, ordine sequendi priuationes aequant; alterae duae sc. uniuersales non aequant“ (u. 22. *ὥστε διὰ τοῦτο* — 24. *τὰ δὲ δύο οὔ*). —

„[Quod duplicem rationem uocaui, *ἔστι* u. c. uel ad *δίκαιος* sc. *ἄνθρωπος* uel ad *οὐ-δίκαιος* sc. *ἄνθρωπος* additur]“ (24. *λέγω δὲ* — 25. *ὥστε καὶ ἡ ἀπόφασις*).

„Quattuor igitur contradictiones esse dixi, quas ex sequentibus perspiciemus“ (26. *τέτταρα οὖν* — 27. *ὑπογεγραμμένων*). „Infinitae quaeque ordinem illum sequendi habent, duae:

1. (*A*) *ἔστι δίκαιος ἄνθρ.* (*B*) *οὐκ ἔστι δίκ. ἄνθρ.*
2. (*Δ*) *οὐκ ἔστι οὐ-δίκ. ἄνθρ.* (*Γ*) *ἔστιν οὐ-δίκ. ἄνθρ.*,

in quibus duplex illa ratio adhibita est, cum altera adiectiuo *δίκαιος*, altera utatur *οὐ-δίκαιος*“ (29. *τὸ γὰρ*

„ἔστιν“ ἐνταῦθα καὶ τὸ „οὐκ ἔστι“ τῷ δικαίῳ προςκείσεται καὶ τῷ οὐ-δικαίῳ). „Ordinem autem habent eum, qui in Analyticis expositus est“. Anal. prior. I, 46. 51^b 36.—52^a 17. docet, e duabus contradictionibus, quales nunc a nobis tractantur, negationem alterius (*Δ*) semper consequentem esse affirmationis prioris (*A*), negationem prioris (*B*) affirmationis alterius (*Γ*); praeterea (*B*) et (*Δ*) simul ueras esse posse, (*A*) et (*Γ*) non posse. Eundem ordinem esse, cum altera contradictio non adiectiuis infinitis (*οὐ-δίκαιος*), sed priuatione adiectiui *δίκαιος* i. e. eo adiectiuo, quod priuatiue (*κατὰ στέρησιν*) ei oppositum sit, formetur; dico *ἄδικος*. — „Uniuersales hae duae sunt:

3. (*A*) *πᾶς ἐστιν ἄνθρ. δίκ.* (*B*) *οὐ πᾶς ἐστιν ἄ. δ.*
4. (*Δ*) *οὐ πᾶς ἐστιν ἄν. οὐ-δίκ.* (*Γ*) *πᾶς ἐ. ἄν. οὐ-δίκ.*

Quae cum eadem ratione atque infinitae collocatae sint, eundem consequendi ordinem non retinent. Quamquam enuntiationes (*Δ*) et (*B*) consequentes sunt enuntiationum (*A*) et (*Γ*), ut supra, tamen eo differunt, quod (*B*) et (*Δ*) simul ueras esse eadem ratio non euincit“ (32. *ὁμοίως δὲ ἔχει* — 35. *πλὴν οὐχ ὁμοίως τὰς κατὰ διάμετρον* i. e. (*B*) et (*Δ*) *ἐνδέχεται συναληθεύειν*).

Conditio, quae (*B*) et (*Δ*) infinitas simul ueras reddidit, re subiecta continetur; nam de eo quod omnino homo non est et *„δίκαιος ἄνθρωπος“* et *„οὐ-δίκαιος ἄνθρωπος“* negari i. e. et *B* (*οὐκ ἔστι δίκαιος ἄνθρωπος*) et *Δ* (*οὐκ ἔστιν οὐ-δίκ. ἄνθρ.*) sine ulla ueritatis offensione simul enuntiari potest: id quod Anal. pr. I, 46. alio exemplo explicatur, 52^a 5. *ὃ γὰρ ὅλως μὴ ξύλον, οὐδὲ ξύλον ἔσται οὐ λευκόν.* Contra in uniuersalibus dubia uocis *„οὐ-πᾶς“* uis, ut enuntiationes (*B*) et (*Δ*)

simul uerae modo non sint, modo sint (*ἐνδέχεται δὲ ποτέ*) efficit. Non sunt, si *„οὐ-πᾶς“* interpretaris *„οὐδείς“*, cum „nullus homo est iustus“ (*B*) et „nullus homo est iniustus“ semper contrariae sint: sunt, si uoce *„οὐ-πᾶς“* intelleguntur *„τινές“*; nam „nonnulli homines iusti“ (*B*) et „nonnulli homines iniusti“ eodem tempore uiuere possunt, dummodo duo „nonnulli“ eosdem ne significent.

20^b 1—12. „*Thesis: ἔστι λευκὸς ἄνθρωπος* idem significat atque *ἔστιν ἄνθρωπος λευκός* (^{b}1—2).

Demonstratio: Si thesis falsa est, eiusdem affirmationis plures negationes efficiuntur: id quod fieri nequit (^{b}3—4. *μιᾶς*). — Nam affirmationis *a*) *„ἔστι λευκ. ἄν.“* negatio est *b*) *„οὐκ ἐ. λ. ἀ.“* affirmationis *c*) *„ἔστι ἄν. λευκ.“* negatio est {uel *d'*) *„οὐκ ἐ. οὐκ-ἀ. λ.“* / uel *d''*) *„οὐκ ἐ. ἀ. λ.“*}. Ex quibus duabus negationibus propositis cum prior (*d'*) plane diuersae affirmationis sit, altera (*d''*) nostrae (*c*) sit necesse est.

At ea quoque alterius affirmationis, dico *„ἔστι λευκὸς ἄνθρωπος“*, est. Est igitur duarum sc. *„ἔστι λευκὸς ἄνθρωπος“* (*a*) et *„ἔστιν ἄνθρωπος λευκός“* (*c*). Quae difficultas eo tantum soluitur, quod duae quas diximus affirmationes re uera duae non sunt i. e. quod idem significant *a* et *c*. Quod erat demonstrandum.“ !!

Quam demonstrationem non solum non ab omni, id quod Waitzius dicit, uerum etiam a nulla parte bene habere nemo negabit. Demonstraturus affirmationes *„ἔστι λευκὸς ἄνθρ.“* et *„ἔστιν ἄνθρ. λευκός“* esse easdem, pro concesso sumit negationes *„οὐκ ἔστι λευκ. ἄνθρ.“* et *„οὐκ ἔστιν ἄνθρ. λευκ.“* diuersas non esse. Quod nisi datur (et quis illo negato hoc dabit?), tota demonstratio tol-

litur, utpote cuius neruus in ea concessione positus sit. Nam quod dixit „At ea quoque (*d''*) alterius affirmationis est: dico *ἔστι λευκὸς ἄνθρ.*“ (^{b}9. *ἡ ἑτέρα δὲ τοῦ ἔστι λευκὸς ἄνθρωπος*), unde sumpsit, nisi eam (*d''*) ab „*οὐκ ἔστι λευκ. ἄνθρ.*“ (*b*), quam antea (^{b}4. *τοῦ μὲν γὰρ* etc.) negationem affirmationis *a* recte uocauerat, non differre putabat? Summa igitur demonstrationis est: „$a = c$, quia non-a = non-c“! Quam si quis ab Aristotele profectam esse credit — credat! Nobis indicium clarissimum alienae manus in libro *περὶ ἑρμηνείας* uersatae est: neque audacius fecisse uidebimur.

Nec tamen mendum, quo maius in demonstratione inesse non potest (sc. id, quod probandum est, habendi concessum), solum demonstrationi explicatae opprobratur: accedunt alia, quippe minora.

Primum ^{b}1. et ^{b}11. adiectiuum *λευκός* contra usum Aristotelicum, quem supra exposuimus, uocatur *ῥῆμα*.

Deinde absurdum, ad quod thesi negata deducimur, parum accurate exprimit ^{b}3. *εἰ γὰρ μὴ τοῦτό ἐστι, τοῦ αὐτοῦ πλείους ἔσονται ἀποφάσεις;* non eiusdem affirmationis duae negationes, sed duarum affirmationum („*ἔστιν ἄν. λ.*“ et „*ἔστι λευκ. ἄν.*“) eadem negatio (*d''*) prodit.

Iam uero quaerentibus nobis caussam, qua quis commotus hos uersus ineptos adiecerit, scholium ad 19^b 24, quod excerptum e commentario Stephani Waitz in editione Organi, pars I, p. 41 euolgauit, lucem afferre uidetur „*ὁ Θεόφραστος ἐκ μεταθέσεως ἐκάλεσεν (τὴν πρότασιν) ἢ διὰ τὸ μετατίθεσθαι τὴν „οὐ“ ἄρνησιν ἐκ τοῦ „ἔστι“ τρίτον προςκατηγορουμένου ἐπὶ τὸν κατηγορούμενον ἢ* etc.“ Ex quo cum enuntiationes, quae adiectiuis

cum particula „*οὐ*“ coniunctis, u. c. *οὐ-δίκαιος,* utantur, a Theophrasto „*ἐκ μεταθέσεως*“ uocatas esse, (quia ex. gr. ex „*οὐκ ἔστι δίκαιος ἄνθρωπος*“ loco particulae *οὐ* mutato (*μετατίθεσθαι*) formetur „*ἔστιν οὐ-δίκ. ἄνθρ.*“) intellexerimus, uersus nostros a uiro argutiarum logicarum perito, qui doctrina Theophrasti cognita reliquas quoque enuntiationum partes permutatas sensum non mutare tradere uoluit, insertos esse fortasse nobis persuadebimus.

CAPUT XI.

Sententiarum continuatione interrupta redit capite undecimo ad unitatem enuntiationum, de qua pauca iam cap. V. 17^a 13—17. *δι' ὅτι δὲ ἕν τι — ἢ οἱ ἀσύνδετοι,* deinde cap. VII. 17^b 38 sq. *φανερὸν δὲ ὅτι καὶ μία μιᾶς* etc., copiosius capite octauo uniuerso dixit. Quo capite cum enuntiationes, quae uno nomine subiecto unoque praedicato tamen unae non uocarentur (u. c. *ἔστιν ἱμάτιον λευκόν,* si *ἱμάτιον* homonymum est et „equum“ et „hominem“ significans), tractauerit, nostro, quae pluribus nominibus subiectis uel praedicatis tamen unae sint, quae non sint (*τὸ δὲ ἓν κατὰ πολλῶν ἢ πολλὰ καθ' ἑνὸς* etc.) expositurus est.

Argumentum: „Enuntiationes, in quibus compluria nomina coniuncta subiecti uel praedicati munere funguntur, unae non sunt, nisi una notio compluribus illis exprimitur (— 20^b 19. *βαδίζειν οὐχ ἕν*). Quod ni fit, enuntiationes prodeunt multae (— 22. *ἀλλ' ὁμοίως πολλαί*). Quae doctrina maximi momenti est in usum artis dialecticae. Nam cum eiusmodi enuntiatio speciem unitatis prae se ferat, caueat dialecticus, ne interrogatus

unum responsum de ea temere det (—^{b}31). — Iam uero duae uel plures notiones, quae separatae recte de aliqua re praedicantur, cum coniunctae sint, saepe non solum non unam, sed ne ueram quidem enuntiationem efficiunt: u. c. si quis et sutor et bonus est, non sequitur, ut sutor bonus sit. Itaque quaeritur, quae praedicata in unum coniungi possint, quae non possint (—^{b}36. *καὶ σκυτεὺς ἀγαθός*).

Multa non posse exempla demonstrant, in quibus coniunctione uariae ineptiae efficiuntur (—^{b}4). Quarum prohibendarum caussa haec lex sancitur: tres rationes impediunt, quominus duo praedicata una enuntiatione recta coniungantur; prima, si utrumque de eodem subiecto, altera, si alterum de altero enuntiatur *κατὰ συμβεβηκός* (—9. *ταῦτα οὐκ ἔσται ἕν*); exempla sunt, prioris „*ἔστιν ἄνθρωπος λευκὸς μουσικός*“, posterioris „*ἔστι μουσικὸς λευκός*“ uel illud „*ἔστι σκυτεὺς ἀγαθός*“ (—15. *οὐ γὰρ κατὰ συμβεβηκός*); tertia, si alterum altero continetur; ex. gr. illud „*ἔστιν ἄνθρωπος λευκὸς λευκός*“ (cfr. 20^{b}40.) falso dicitur, quia „*λευκός*“ in „*ἄνθρωπος λευκός*“ iam insit; uel „*ἔστιν ἄνθρωπος ζῷον*“, cum „homo“ notionem „animantis“ reapse contineat (— 18. *καὶ τὸ δίπουν*).

Lege praedicatorum coniungendorum inuestigata aptum uidetur quaerere, num coniuncta seorsum praedicare semper sit uerum.

Vere, de quo notio restricta (*κατά τινος*), etiam nuda (*καὶ ἁπλῶς*) enuntiatur (—20. *ἄνθρωπον λευκόν*): nisi uel restrictione uis notionis tollitur, ut adiectiuo „*τεθνεώς*“ addito uis notionis „*ἄνθρωπος*“ (—24. *μὴ ἐνυπάρχῃ ἀληθές*), uel restricta solum *καθ' αὑτό*, nuda

κατὰ συμβεβηκός praedicatur, ut „*εἶναι ποιητής*“ de Homero *καθ' αὑτό*, „*εἶναι*“ autem nudum *κατὰ συμβεβηκός* tantum praedicatur (—21^a 33. finis).

20^b 13—^{b}19. *τὸ δὲ ἓν κατὰ πολλῶν — τοῦ βαδίζειν οὐχ ἕν.* Qui interpunctionem Bekkeri et Waitzii secuntur, facere non possunt quin interpretentur: „Subiectum uel praedicatum plus uno nomine compositum unam enuntiationem non efficit, nisi unum (*ἕν τι* sc. una tantum notio) eis significatur (—15. *οὐδὲ ἀπόφασις*). Unum autem non uoco, si compluria illa uno uocabulo significantur uel significari possunt (*ἐὰν ὄνομα ἓν ᾖ κείμενον*), unam autem notionem non definiunt (*μὴ ᾖ δὲ ἕν τι ἐξ ἐκείνων*); u. c. „homine“ „animal“ et „bipes“ et „mansuetum“ significantur, quibus coniunctis una notio sc. „hominis“ definitur: contra „albus“ et „homo“ et „means“ unam notionem non exprimunt“. Quae duo exempla in sententiam antecedentem (*λέγω δὲ ἓν οὐχ* etc.), cuius illustrandae caussa apposita esse uidentur, non quadrant. Quae sententia cum de nominibus compluribus, quae uno uocabulo significantur, unam autem notionem non definiunt, dixisset; utrumque exemplum alteri tantum conditioni satisfacit, alteram neglegit. „Animal“ enim et „bipes“ et „mansuetus“ quamuis una uoce significentur (sc. „homine“), unam notionem (sc. „hominis“) definiunt: „albus“ autem et „homo“ et „means“ unam notionem non definiunt, contra una uoce non significantur.

Quam difficultatem ut remoueam, ita uerba interpunxi: *Τὸ δὲ ἓν κατὰ πολλῶν ἢ πολλὰ καθ' ἑνὸς καταφάναι ἢ ἀποφάναι, ἐὰν μὴ ἕν τι ᾖ τὸ ἐκ τῶν πολλῶν δηλούμενον, οὐκ ἔστι κατάφασις μία οὐδὲ ἀπόφασις*

(*λέγω δὲ ἓν οὐκ, ἐὰν ὄνομα ἓν ᾖ κείμενον, μη ᾖ δὲ ἕν τι ἐξ ἐκείνων*)· *οἷον ὁ ἄνθρωπος ἴσως ἐστὶ καὶ ζῷον καὶ δίπουν καὶ ἥμερον, ἀλλὰ καὶ ἕν τι γίνεται ἐκ τούτων· ἐκ δὲ τοῦ λευκοῦ καὶ τοῦ ἀνθρώπου καὶ τοῦ βαδίζειν οὐχ ἕν*. Verbis *λέγω δὲ — ἐκείνων* uncinis inclusis exempla quae secuntur ad *τὸ δὲ ἕν ... οὐ δὲ ἀπόφασις* referenda sunt. „Subiectum uel praedicatum plus uno nomine compositum unam enuntiationem non efficit, nisi una notio composito exprimitur: u. c. „*ζῷον δίπουν ἥμερον*" unam notionem exprimit, dico „hominem" (cfr. cap. V. 17a 13. *δι' ὅτι δὲ ἕν τί ἐστιν, ἀλλ' οὐ πολλὰ τὸ ζῷον πεζὸν δίπουν*), „*λευκὸς ἄνθρωπος βαδίζων*" uero non exprimit". Quae uncinis inclusi de homonymis intellegenda esse iam nonnullos ueteres interpretes monuisse (*ἔνιοι τῶν ἐξηγητῶν*), Ammonius tradit schol. Brand. ad 20b 15. Explicatur enim uerbis inclusis, quid sit *ἕν τι* (u. 14) „... nisi unum i. e. una notio pluribus nominibus exprimitur (*ἐὰν μὴ ἕν τι ᾖ τὸ ἐκ τῶν πολλῶν δηλούμενον*). Sed caue putes, uno nomine pro pluribus illis posito semper unam notionem exprimi; memineris homonymorum, quae capite VIII. tractauimus. Quae quamuis plus uno significent (*ἐὰν ὄνομα ἓν ᾖ κείμενον*), ut „*ἱμάτιον*" et „*ἄνθρωπον*" et „*ἵππον*", tamen unam notionem non exprimunt (*μὴ ᾖ δὲ ἕν τι ἐξ ἐκείνων*). Itaque homonymum „*ἕν τι*" non uoco (*λέγω δὲ ἓν οὐκ*)".

20b 24—25. *οὐκ ἂν εἴη ἀπόκρισις μία πρὸς ταῦτα· οὐδὲ γὰρ ἡ ἐρώτησις μία, οὐδ' ἐὰν ᾖ ἀληθής*. „Ad quaestionem eiusmodi (sc. cuius *ἆρ' ἔστιν ἄνθρωπος λευκὸς βαδίζων;*) unum responsum non datur; i. e. si respondes „*ναί*" uel „*οὔ*", unum responsum non est; neque enim quaestio una est, quamuis uera sit". Quid? Nescio an quaestio uera uel falsa sit. Sed non ignoro, Aristotelem certe nullam habere ueram, quippe qui paucis capitibus ante (cap. IV. 17a 2 sq.) solas orationes enuntiatiuas ueras uel falsas esse declarauerit. Optime Iulius Pacius commate pro colo, quod est post *πρὸς ταῦτα*, posito interpretatur: „non potest esse una responsio, quia non est una interrogatio, ne si uera quidem sit". Facilius Aristotelis sententia intellegetur uerbis *οὐδὲ-μία* uncinis inclusis. Quocirca scribo: *οὐκ ἂν εἴη ἀπόκρισις μία πρὸς ταῦτα (οὐδὲ γὰρ ἡ ἐρώτησις μία), οὐδ' ἐὰν ᾖ ἀληθής*. „Unum responsum ad haec non datur (neque enim quaestio una est), quamuis sit uerum", uel „responsum, quamuis sit uerum, unum non est". U. c. Spatiatur homo albus. Quaeritur: „*ἆρ' ἄνθρωπος λευκός βαδίζει*"? responsum: „*ναί· ἄνθρωπος λευκὸς βαδίζει*". Sit rectum; sed caue id des, cum unum non sit; nam saepe falleris, si temere responderis neque plura quaesita esse notaueris". —

21a 7—8. „*τῶν δὴ κατηγορουμένων, καὶ ἐφ' οἷς κατηγορεῖσθαι συμβαίνει, ὅσα μὲν λέγεται κατὰ συμβεβηκὸς* etc." „Ex praedicatis, et de quibus praedicantur, quaecunque *κατὰ συμβεβηκὸς* i. e. per accidens enuntiantur uel de eodem subiecto uel etc." Non satis intellego, quid uerba „et de quibus praedicantur" i. e. „subiecta" sibi uelint. Cum „*τῶν κατηγορουμένων*" certe pendeat ab „*ὅσα*", sententia esse uidetur haec: „Quae praedicata et subiecta per accidens enuntiantur uel de eodem subiecto uel etc." At ubi terrarum subiectum inuenitur, quod enuntietur de subiecto? i. e. simul subiectum et praedicatum, i. e. simul subiectum et non-

subiectum sit? Fieri non potest, quin locus corruptus sit. Deleo igitur „καὶ“ ante „ἐφ᾽ οἷς“ et interpretor „ὅσα τῶν κατηγορουμένων κατὰ συμβεβηκὸς λέγεται ἐφ᾽ οἷς κατηγορεῖσθαι συμβαίνει. Quae praedicata per accidens enuntiantur de eis, de quibus praedicantur (i. e. de subiectis suis), uel de eodem (sc. subiecto) uel etc.“ Certe copiosior quam clarior oratio est: nam quae addit „de quibus praedicantur“ (ἐφ᾽ οἷς κατηγορεῖσθαι συμβαίνει) structuram uerborum obscurat neque sententiam reddit apertiorem, cum omnia praedicata enuntientur de subiectis, quippe quo enuntiationis modo uocentur praedicata; sed sensus inest quem in lectione uolgari inuestigare frustra conatus sum.

21ᵃ 20. ἢ τόν τινα λευκὸν ἄνθρωπον ἄνθρωπον λευκόν. Bonitz (Jen. Litt. Ztg. 1845. pag. 846 sq.) Waitzium reprehendit, quod lectionem Bekkerianam mutauerit. Quae quamuis optimorum codicum fide (*A* et *B*) nitatur, mihi quoque falsa uidetur. Cur Aristoteles rem simplicissimam duobus exemplis illustrat? Quae quidem exempla inter se nil differunt. Nam quo iure „quidam homo“ uocatur „homo“ (τόν τινα ἄνθρωπον ἄνθρωπον) eodem „quidam homo albus“ uocatur „homo albus“.

Eodem uitio laborat lectio „ἢ τόν τινα λευκὸν λευκόν“, quam Boethii fuisse colligitur ex uersione eius „aut de aliquo albo album“ (pag. 422). Alteram lectionem Boëthianam „ἢ τόν τινα λευκὸν ἄνθρωπον“ („aut quendam album dicere hominem“) atque codicum uarietates Waitz iure recusauit. Nec tamen ipsius coniecturam „ἢ τόν τινα λευκὸν ἄνθρωπον λευκόν“, cui consensus codicis *n* uersionisque Syriacae, saepenumero a codice *n* stantis, non affert satis auctoritatis, recipio. — Interpretor inde a 21ᵃ 18. ἀληθὲς δὲ ἔστι εἰπεῖν: „De quo aliquid quodammodo dicitur, idem simpliciter dicere uerum est“ i. e. „De quo notio adiectiuo restricta uel temperata praedicatur, eandem nudam i. e. adiectiuo carentem praedicari uerum est: u. c. „„hominem quendam““ i. e. eum, qui quodammodo tantum homo est, simpliciter quoque „„hominem““ appellamus (οἷον τόν τινα ἄνθρωπον ἄνθρωπον); uel (si Waitzium sequimur) quendam album hominem simpliciter „„album““.

At „homo albus“ male „album quoddam“ uocatur, quasi albi notio praecipua esset, quae homine adiecto restringeretur. Contra „homo“ substantiam (οὐσίαν), „album“ qualitatem (ποιόν τι) tantum significat.

Scribendum puto: „ἢ τὸν λευκὸν ἄνθρωπον ἄνθρωπον“. „Ut quendam hominem hominem (τόν τινα ἄνθρωπον ἄνθρωπον) ita „album hominem“ (utpote qui „quidam homo“ sit sc. albus) hominem nominamus“.

21ᵃ 29—32. ὥστε ἐν ὅσαις κατηγορίαις μήτε ἐναντιότης ἔνεστι,

a) ἐὰν λόγοι ἀντ᾽ ὀνομάτων λέγωνται

b) καὶ (sc. ἐὰν) καθ᾽ ἑαυτὰ κατηγορῆται καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός,

ἐπὶ τούτων etc. — Waitz uertit: „In quibus non inest repugnantia, *a*) si definitiones sumuntur pro nominibus, *b*) et si quae praedicantur ita praedicantur, ut cum natura rei coniuncta sint, in eis etc.“ Primum neglegentia notanda uidetur, qua altero „μήτε“ quod respondeat priori omisso orationem coniunctione „καὶ“ continuauerit. Deinde sententiam perspiciamus: „In quibus sc. praedicatis, repugnantia non inest, si definitiones pro nominibus sumuntur“ ad ᵃ21. οὐκ ἀεὶ δὲ — 24. ὅταν δὲ

μὴ ἐνυπάρχῃ, ἀληθές aptissime referuntur. Quibus uersibus exemplo „hominis mortui“, quem hominem uocare non liceat proposito demonstratur, ad substantiuum interdum adiectiuum, quo notio eius tollitur, adici (*ὅταν ἐν τῷ προςκειμένῳ τῶν ἀντικειμένων τι ἐνυπάρχῃ, ᾧ ἕπεται ἀντίφασις* 21ᵃ 21). Quae quasi contradictio in adiecto ne nos fugiat, definitiones et substantiui et adiectiui in mentem nostram reuocemus oportet. Quo facto cum notione „hominis“ notionem „uiuentis“ simul cogitari uiderimus, de „homine mortuo“ simpliciter „hominem“ non enuntiabimus. In quibus autem repugnantia, contradictio non inest, si definitiones pro nominibus sumuntur (*μήτε ἐναντιότης ἔνεστιν, ἐὰν λόγοι ἀντ᾽ ὀνομάτων λέγωνται*), legis qua „*κατὰ τοῦ τινὸς καὶ ἁπλῶς*“ enuntiatur exceptio non statuitur.

Sed altera quoque repugnantia, qua ea lex rumpatur, cauenda est. Waitz uertit: „In quibus repugnantia inest, si quae praedicantur ita praedicantur, ut cum natura rei coniuncta sint, in eis lex ualet“; i. e. „lex non ualet in eis, in quibus cum praedicata *καθ᾽ αὑτό*, non *κατὰ συμβεβηκὸς* sint, repugnantia oritur“. At quae *καθ᾽ αὑτὸ* praedicantur nunquam repugnantiam efficiunt. Neque in eis oritur quae *κατὰ συμβεβηκὸς* enuntiantur. Ex. gr. „Homerus est poëta, sed non est“, qua in enuntiatione „est“ *κατὰ συμβεβηκός*, non *καθ᾽ αὑτὸ* Homero attribuitur. At ubi est repugnantia? Notionesne „poëta“ et „esse“ quidquam contrarii complectuntur? Id quod ipse Aristoteles negat ᵃ25. „*ὅταν δὲ μὴ ἐνυπάρχῃ* sc. *ἐναντιότης, οὐκ ἀεὶ ἀληθὲς* sc. *τὸ κατὰ τοῦ τινος καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν*“. Falso igitur ad *καθ᾽ αὑτὰ κατηγορῆται* (ᵃ30.) supplentur uerba „*ἐν ὅσαις κατηγορίαις μήτε ἐν-*

αντιότης ἔνεστι, ἐὰν“. At lectione seruata fieri non potest, quin suppleantur. In coniecturarum campum lubricissimum denuo pulsi sumus: sed Iulii Pacii sagacitas facilem exitum nobis offert. Qui cum interpretetur inde ab *ὥστε* (29.) „quocirca in quibus attributionibus neque repugnantia inest, si definitiones pro nominibus dicantur, et per se attribuitur, non ex accidente, in his etc.“, non dubium est quin *κατηγορεῖται* i. e. formam indicatiui legendam esse putauerit. Qua unius litterae „*η*“ in „*ει*“ permutatione cum pars enuntiati, quae inde a uerbis *καὶ καθ᾽ αὑτά* (u. 30.) usque ad *κατὰ συμβεβηκός* (u. 31.) porrigitur, imperio coniunctionis „*ἐὰν*“ euerso locum parti antecedenti „*μήτε ἐναντιότης ἔνεστι, ἐὰν λόγοι ἀντ᾽ ὀνομάτων λέγωνται*“ parem, quem flagitat sententia, occupauerit; prementes I. Pacii uestigia codice *d* adiuuante sic uerba disponimus: *ὥστε ἐν ὅσαις κατηγορίαις*

a) *μήτε ἐναντιότης ἔνεστιν, ἐὰν λόγοι ἀντ᾽ ὀνομάτων λέγωνται,*

b) *καὶ καθ᾽ ἑαυτὰ κατηγορεῖται καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς,*

ἐπὶ τούτων τὸ τὶ καὶ ἁπλῶς ἔσται εἰπεῖν. Quo facto interpretare:

„In quibus praedicatis

a) neque repugnantia inest, si definitiones pro nominibus dicantur (cauenda igitur sunt praedicata, in quibus inest u. ᵃc. *τεθνεὼς ἄνθρ.*),

b) et (sc. in quibus) non ex accidente (id quod fiebat in enuntiatione „*Ὅμηρος ἔστι ποιητής*“) sed per se praedicatur,

in eis lex ualet“.

Elegantior certe esset oratio, si scripsisset „καὶ ὅσαι (sc. κατηγορίαι) καθ' ἑαυτὰ κατηγοροῦνται" uel „καὶ ὅσα κατηγορεῖται". Sed de eiusmodi minutiis cum Aristotele non contendemus, ne litigiosi habeamur.

CAPITA VII — XI.

Postquam huc uentum est, consistamus oportet, ut uolneri quod annotatione ad caput VII. extrema iam attigimus, conemur mederi.

Tres fuere difficultates, quibus cognitis traditum capitum VII sqq. statum peruersum esse diuinabamus.

Primum contradictionem capite VII. (17^a 38 — ^{b}37.) constitutarum formas exemplaque intra sex et triginta uersus (17^b 38—18^a 32.) mira loquacitate ter (sc. 17^b 40—18^a 7; 18^a 14—17; 18^a 29—32.) repetita Aristoteli tribui nequire arbitrabamur.

Deinde quod more utili abusus usuque alioquin aptissimo quasi ad ridiculum detorto argumentum capitis VII. breuis neque ulla difficultate obstructi statim in fine eius (18^a 7 — 12.) retractauisset copiose, mirabamur.

Denique quae absoluta uersibus modo laudatis affirmat; „ὅτι μία κατάφασις μιᾷ ἀποφάσει ἀντίκειται" capitibus VIII. et XI., „ὅτι" autem „οὐ πᾶσα ἀληθὴς ἢ ψευδὴς ἀντίφασις", capite IX. accuratius, quam capite VII. ipso factum est, tractari uidebamus.

Quid igitur? iubesne uersus, qui maxime offendunt (18^a 7 — 12.) remotos e suo loco post caput XI. collocari? Quod remedium facillimum utinam sufficeret! Sed uereor, ne non sit satis idoneum, utpote quod, quam-

uis offensiones alteram et tertiam de medio tollat, primam relinquat.

Quare argumentum libri περὶ ἑρμηνείας in mentem reuocemus, ut sani ex hac „silua obscura et aspra" egrediamur.

Aristoteles doctrinam libro „περὶ ἑρμηνείας" tradendam postquam capitibus I—V. praeparauit, primo praefatus, secundo et tertio necessarias cuiusque enuntiationis partes (nomen et uerbum) definiens, quarto eam a ceteris orationibus, quinto simplicem a composita segregans; capite sexto (VI.) incipit affirmatione et negatione distinctis atque contradictionis natura indicata.

Quas contradictiones capite VII. ab enuntiationibus contrariis seiungit; uarias earum formas quantitate diuisas (uniuersalem particularem singularem infinitam) tradit; summam earum legem, qua alteram ueram alteram falsam enuntiationes amplectantur, fert (—17^a 38). Deinde unam tantum negationem uni affirmationi contradictorie oppositam esse addit (17^b 38—18^a 7.): id quod iam efficitur lege modo lata de enuntiationibus contradictoriis, quippe quae cum duarum numerum superent altera uera altera falsa esse non possint. — Quae annotatio quid sibi uelit, iam caput VIII. docet: „Contradictiones, quae homonymis subiectis uel praedicatis utuntur, summam illam legem rumpunt (18^a 26. ὥστε οὐδ' ἐν ταύταις ἀνάγκη τὴν μὲν ἀληθῆ, τὴν δὲ ψευδῆ εἶναι ἀντίφασιν). At neque affirmatio neque negatio una est: id quod uersibus 17^a 38 — 18^a 7. postulabatur".

Deinde unitate omissa caput IX. legis ante 17^b 38. datae, quam dixi summam contradictionum, ueram sta-

tuit exceptionem in enuntiationibus quae de rebus futuris sunt.

Caput X. res plane diuersas aggreditur: „aliam atque caput VII. diuisionem enuntiationum (sc. earum quae duabus earumque quae tribus partibus constent) proponit, particulae „οὐ" significationes uarias secundum uarios quos obtineat locos docet, consecutionem enuntiationum tradit.

Caput XI. ad unitatem enuntiationum, quae 17^{a} 38 — 18^{a} 7. deinde capite VIII. ad rectam contradictionem perficiendam flagitabatur, reuertit. Quam unitatem subiectis et praedicatis singulis uocabulis expressis satis munitam esse ne putaueris: caput enim octauum exemplis homonymorum demonstrauit, unam uocem notam satis idoneam, qua una enuntiatio cognosceretur, non esse. — Pergitur capite XI.: „Sed ne semper quidem singulis uocibus subiectis et praedicatis opus est. Sunt enim, quae quamuis frequentes subiectae uel praedicatae unitatem enuntiationis non turbent; quia coniunctae unam tantum notionem significant: ex. gr. *ζῷον πεζὸν δίπουν*. Notio, non uox una poscitur. Itaque qualia uocabula coniuncta tamen unam enuntiationem efficiant, qualia non, inuestigemus etc. etc."

Iam uero quantopere ordo capitum VII — XI. turbatus sit apparet. Spectantibus nobis continuationem sententiarum nonum (IX.), quod legis de partibus contradictionis, altera uera altera falsa, latae exceptionem tradit, legi ipsi uersibus 17^{b} 26 — 37. expositae adiungendum esse uidetur. Quodsi in loco quem adhuc obtinebat relinquimus, haud iniustum uidetur iudicium

Prantlii (Gesch. d. Logik I. Anm. 242) dicentis, caput nonum neque cum antecedentibus neque cum sequentibus ullo modo cohaerere.

Capita autem VIII. et XI. ad sequentem septimi partem (17^{b} 38 — 18^{a} 7.) referenda sunt. Qui uersus cum unitatem affirmationis et negationis contradictorie oppositarum flagitauerint, capite octauo (VIII.) enuntiationes, quae quamuis unae uideantur multae sint (sc. eas quae homonymis utuntur) cauere, undecimo (XI.), quae quamuis multae uideantur unae sint (u. c. *ἔστι ζῷον πεζὸν δίπουν*), admittere iubemur.

Postremo uersus 18^{a} 8 — 12. argumenta capitum septimi (— 17^{b} 37.) et noni, septimi (17^{b} 38 — 18^{a} 7.) et octaui et undecimi retractant.

Quo cognito plus centum codicibus nos non impedient, quin aptum capitum ordinem, qui cum apto sententiarum progressu, quam explicauimus, congruat, confestim restituamus. Quid enim? Orthodoxiamne fidelem ad literam sanguinem et neruos e libro expellere? Auctoritate codicum seruata duae tantum sententiae sunt, e quibus alteram eligas oportet. Aut Aristotelem, quo tempore librum „*περὶ ἑρμηνείας*" scripsit, amore ordinis apti dispositionisque dilucidae, quae in omnibus eius scriptis inuenitur adiuuatque lectores quam maxime ad res saepe difficillimas intellegendas, plane destitutum esse opinaberis; aut non solum ab Aristotele, uerum etiam ab omnibus hominibus sanis librum abiudicabis. Non uereor, ne prius remedium sequaris. Alterum autem medici est, qui membrum morbo affectum priusquam sanare temptet totum resecet. Quae ultima ratio inter-

pretum ne omnes quidem difficultates tollit. Nam doctrina libello exposita, quam dignam Aristotele esse etiam aduersarii eius auctoris confitentur, prohibet, quominus a scriptore inepto temporis posterioris eum compositum esse censeamus. Auctor dispositionis perturbatissimae argumenta Aristotele digna non inuenit.

Fortasse quispiam secutus Gumposchium („Ueber die Logik und die logischen Schriften des Aristoteles", Leipzig 1839, pag. 91) censentem, librum „*περὶ ἑρμηνείας*" nil noui tradere, sed argumentum ex ceteris Aristotelis scriptis colligere, dixerit: „auctor libri doctrinam Aristotele dignam exponit, quippe Aristoteli furatus; deinde omnibus turbatis se ipse prodidit". At Gumposchius sententiam suam nec demonstrauit nec demonstrare potest. Qua refutata hic quoque exitus ultimus obstructus est. —

Itaque series capitum mutanda est: „Quattuor contradictiones distinguuntur:

1. *ἔστι πᾶς ἄνθρωπος λευκός   οὐκ ἔστι πᾶς ἄν. λευκ.*
2. *ἔστι τὶς ἄνθρ. λευκ.   ἔ. οὐδεὶς ἄνθρ. λευκός.*
3. *ἔστιν ἄνθρ. λευκ.   οὐκ ἔστιν ἄν. λευκ.*
4. *ἔστι Σωκράτης λευκός   οὐκ ἔστι Σωκρ. λευκ.*,

quae contradictiones excepta tertia forma omnes summam legem secuntur hanc: semper altera earum pars uera, altera falsa est" (cap. VII. 17^{a} 38. *ἐπεὶ δὲ ἔστι* — ^{b}37. *ἅμα ἐξ ἀνάγκης*). „Cuius legis altera exceptio grauissima in enuntiationibus, quae sunt de rebus futuris, statuenda est" (cap. IX. totum). „In ceteris ualet, dummodo una tantum affirmatio unaque negatio coniungantur" (cap. VII. 17^{b} 38. *φανερὸς δὲ* — 18^{a} 7. *ἔστιν ἄν-*

θρωπος λευκός). „Cuius unitatis seruandae caussa homonyma caueamus. Quibus quae enuntiationes utuntur uel subiectis uel praedicatis, cum speciem unarum praebeant, re uera sunt multae" (cap. VIII. totum). „Attamen ne nimis cautus fueris, neue timore perdendae unitatis enuntiationes reieceris, quae quamuis multarum speciem prae se ferant unae sunt. Dico eas, quibus notio una, plus uno uocabulo expressa, subiecta uel praedicata sit ex. gr. *ζῷον πεζὸν δίπουν*, quibus notio hominis significatur. Alia autem, u. c. *ἄνθρωπος λευκὸς βαδίζων*, cum unius notionis signa non sint, enuntiationes efficiunt multas" (cap. XI. 20^{b} 13. *τὸ δὲ ἓν κατὰ πολλῶν* — ^{b}30. *ἢ οὐ τοῦτο*). „Qua differentia oblata quaeritur, cuiusmodi nomina coniuncta unam notionem, atque subiecta uel praedicata unam enuntiationem procreent, cuiusmodi multas" (reliqua capitis XI. pars). „Tribus igitur de rebus actum est capitibus VII^{a}. (—17^{b} 57). IX. VII^{b}. (17^{b} 58—18^{a} 7). VIII. XI.;

1. *ὅτι μὲν οὖν μία κατάφασις μιᾷ ἀποφάσει ἀντίκειται ἀντιφατικῶς* extrema eorum parte i. e. VII^{b}. VIII. XI.
2. *ὅτι ἐναντίαι ἄλλαι καὶ τίνες εἰσὶν αὗται*
3. *καὶ ὅτι οὐ πᾶσα ἀληθὴς ἢ ψευδὴς ἀντίφασις καὶ διὰ τί καὶ πότε ἀληθὴς ἢ ψευδής* priori i. e. VII^{a}. IX." (cap. VII^{c}. i. e. 18^{a} 8—12).

„Quibus expositis reliquam doctrinam enuntiationis simplicis assertoriae absoluit" (capite X). „Deinde enuntiationes problematicas et apodicticas addit" (capitibus XII. XIII).

Iam uero omnia plana sunt. Sententiarum ordo

aptissimus; enumeratio formarum contradictionis exemplorumque quater repetita iam non tantopere, quantopere antea, offendit, cum secunda (i. e. 17^b 40—18^a 7.) et tertia (18^a 14—17.) a prima (17^b 27 sq.) et quarta (18^a 29—32.) toto capite nono (IX.) intermisso sint separatae. Non tantopere: attamen uersus 17^b 38—18^a 7. et 18^a 14—17. uno tenore scripti nimiam fortasse uerbositatem Aristoteli inferunt. Quam qui indignam auctore breuiloquenti habet, coniecturam nostram (cfr. pag. 45.) secutus uerba 18^a 4. *τῇ δὲ πᾶς* — 18^a 7. *ἔστιν ἄνθρωπος λευκός* deleat.

U I T A.

Anno MDCCCXLVII d. XV mens. Ianuarii natus sum Stettini patre Socio Consistorii Regii.

Duo casus grauissimi me infantem nescium afflixere: mater quinque mensibus, pater tribus annis post me editum mortui. Sed uxorem, quam secundam paullo ante in matrimonium duxerat, nobis quinque liberis paruis reliquit matrem amantissimam.

Elementa litterarum a matre, deinde in schola Francogallorum, quae dicitur, edoctus sum. Quo facto post duos annos gymnasio Stettinensi sum adscriptus. Nec diu in eo moratus diem, quo urbs patria domusque materna relinquendae erant, mixtum dolore et gaudio aspexi: schola Regia Portensis me recepit alumnum mens. Octobri anni LIX. Metuo ne non tempus tam felix unquam redeat. Quare Almae Matri Portensi gratiam quam maximam habeo habeboque per totam uitam.

Sex annis confectis cum ciuibus uniuersitatis litterariae Lipsiensis adscriptus essem, per unum annum dimidiatumque cum scholas Friderici Ritschelii Georgi Curtii aliorum frequentaui, tum studiis glotticis incubui.

Lipsia relicta Berolini d. VII mens. Maii anni LXVII nomen apud facultatem philosophicam professus sum. Tum

primum philosophiae atque philologiis antiquae et Germanicae operam diligenter dare coepi. Scholas Mommsenii Ernesti Curtii Hauptii Muellenhoffii audiui. Optime uero Trendelenburg et Bonitz, quos animo pio et gratissimo nomino, de me meriti sunt: hic primus me ad Aristotelem tractandum impulit scholis priuatissimis; ille cum rationem suam Aristotelis enarrandi et emendandi Arte Poëtica proposita docuit, tum in dissertatione elaboranda me summa liberalitate adiuuit.

THESES.

1. In Kantii „Kritik der reinen Vernunft“, ed. I. 1781. pag. 242. u. 4 (edit. Hartensteiniana. Lips. 1853. pag. 228. u. 15 ab im.) „nimmt“ pro „nehmen“ legendum est.
2. Ibidem pag. 534. u. 2 ab im. (ed. Hart. pag. 399. u. 18) „nicht“ ante „bestimmt“ inserendum est.
3. In Aeschyli Choephoris u. 93 lego:
   κοινὸν γὰρ ἄχθος ἐν δόμοις κομίζομεν.
4. In Aristotelis „*περὶ ἑρμηνείας*“ cap. XII. 21^b 31—32. lego: *ὥσπερ ἐπ᾽ ἐκείνων τὸ εἶναι καὶ μὴ εἶναι τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος, ὁμοίως αὗται ἐπὶ τοῦ εἶναι τὸ δυνατὸν καὶ οὐ δυνατόν.*
5. Ibid. cap. XIV. 24^b 7: *οὔτε δόξαν οὔτε ἀπόφανσιν.*
6. Ibid. 24^b 8: *περὶ ταῦτα δὲ οὐκ ἐνδέχεται ἀληθεύειν τὸν αὐτὸν.*
7. In Aristotelis „*περὶ ψυχῆς*“ *Γ*, 1. 424^b 24. comma post „*ἁφὴ*“ et 424^b 26. „*τ᾽*“ post „*ἀνάγκη*“ delenda, 424^b 27. punctum post „*ἐκλείπειν*“ ponendum esse censeo. Interpretor: „Si omnia quae tactu sentiuntur a nobis iam sentiuntur, necesse est, si qui sensus abest a nobis, etiam sensorium abesse“.